UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Commentariorvm, Ac Dispvtationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinqve

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post Præfationem Indicantvr

**Suárez, Francisco**

**[Köln], 1619**

Quæstio LXXXII. De ministro huius sacramenti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-93807

Visual Library

*quodl 5. art. 11. ad 1. & 10. obiect. 6. fin. & 1. Cor 11. lec. 6. & co. 1, fin.*

non ibi moreretur. Mors enim CHRISTI accidit per eius paßionem. Sed Chriſtus impaßibili modo etiam tunc erat in hoc ſacramento. Ergo non poterat mori in hoc ſacramento.

2. Præterea, In morte Chriſti ſeparatus fuit ſanguis eius à corpore. Sed in hoc ſacramento ſimul eſt corpus Chriſti, & ſanguis. Ergo CHRISTVS in hoc ſacramento non moreretur.

3. Præterea, Mors accidit per ſeparationem animæ à corpore. Sed in hoc ſacramento continetur tam corpus, quam anima Chriſti. Ergo in hoc ſacramento non poterat Chriſtus mori.

Sed contra eſt, quod idem Chriſtus, qui erat in cruce, fuiſſet in ſacramento. Sed in cruce moriebatur. Ergo & in ſacramento conſeruato moreretur.

*Art præc. & q. 76. ar. 4. 5. & 6.*

Reſpondeo dicendum, quod corpus Chriſti idem in ſubſtantia, eſt in hoc ſacramento, & in propria ſpecie, ſed non eodem modo. Nam in propria ſpecie, contingit circumſtantia corporea per proprias dimenſiones, nõ autem, prout eſt in hoc ſacramento, vt ſupra dictum eſt. * Et ideo, quicquid pertinet ad Chriſtum, ſecundum quod in ſe eſt poteſt tribui ei, & in propria ſpecie, & in ſacramento exiſtenti, ſicut viuere, mori, dolere, animatum, vel inanimatum eſſe, & cætera huiuſmodi. Quæcunq; vero conueniunt ei per comparationem ad corpora extrinſeca, poſſunt ei attribui in propria ſpecie exiſtenti, non autem, prout eſt in ſacramento; ſic irrideri, conſpui, crucifigi, flagellari, & cætera huiuſmodi. Vnde & quidam metrice dixerunt. Pyxide ſeruato poteris ſociare dolorem. Innatum, ſed non illatus conuenit illi.

*In corp. art.*

Ad primum ergo dicendum, quod (ſicut dictum eſt*) paßio conuenit corpori paſſo, per comparationem ad agens extrinſecum. Et ideo Chriſtus ſecundum quod eſt ſub hoc ſacramento, pati non poteſt, poteſt tamen mori.

*Q. 67. ar. 2. ad 1.*

Ad ſecundum dicendum, quod (ſicut ſupra dictum eſt*) ſub ſpecie panis eſt corpus Chriſti ex vi conſecrationis: ſanguis autem ſub ſpecie vini. Sed nunc quidem, quando realiter ſanguis Chriſti non eſt ſeparatus ab eius corpore, ex reali concomitantia & ſanguis Chriſti eſt ſub ſpecie panis ſimul cum corpore, & corpus ſub ſpecie vini ſimul cum ſanguine Sed ſi, tempore paßionis Chriſti, quando realiter ſanguis fuit ſeparatus à corpore Chriſti, fuiſſet hoc ſacramentum conſecratum, ſub ſpecie panis fuiſſet ſolum corpus, & ſub ſpeciei vini fuiſſet ſolum ſanguis.

*In ſolu pr. & loco ibi citato.*

Ad tertium dicendum, quod (ſicut ſupra dictum eſt*) anima Chriſti eſt in hoc ſacramento ex reali concomitantia, quia non eſt ſine corpore, non autem ex vi conſecrationis. Et ideo, ſi tunc fuiſſet hoc ſacramentum conſecratum vel per actum, quando anima erat à corpore realiter ſeparata, non fuiſſet anima Chriſti ſub hoc ſacramento, non propter defectum virtutis verborum, ſed propter aliam diſpoſitionem rei.

## QVÆSTIO LXXXII.

### De miniſtro huius ſacramenti, in decem articulos diuiſa.

DEinde conſiderandum eſt de miniſtro huius ſacramenti.

Et circa hoc quæruntur decem.

Primò, vtrum conſecrare hoc ſacramentum ſit proprium ſacerdotis.

Secundò, vtrum plures ſacerdotes ſimul poßint eamdem hoſtiam conſecrare.

Tertiò, vtrum diſpenſatio huius ſacramenti pertineat ad ſolum ſacerdotem.

Quartò, vtrum liceat ſacerdoti conſecrandi à communione abſtinere.

Quintò, vtrum ſacerdos peccator poßit conficere hoc ſacramentum.

Sextò, vtrum Miſſa mali ſacerdotis minus valeat, quam boni.

Septimò, vtrum hæretici, ſchiſmatici, vel excommunicati, poßint conficere hoc ſacramentum.

Octauò, vtrum degradati.

Nonò, vtrum peccent, à talibus communionem recipientes.

Decimò, vtrum liceat ſacerdoti omnino à celebratione abſtinere.

### ARTICVLVS I.

Vtrum conſecratio huius ſacramenti ſit propria Sacerdotis.

AD primum ſic proceditur. Videtur, quod conſecratio huius ſacramenti non ſit propria Sacerdotis. Dictum eſt enim* ſupra, quod ſacramentum conſecratur virtute verborum, quæ ſunt forma huius ſacramenti. Sed illa verba non mutantur, ſiue dicantur à Sacerdote, ſiue à quocunque alio. Ergo videtur, quod non ſolus Sacerdos, ſed etiam quilibet alius poßit hoc ſacramentum conſecrare.

2. Præterea, Sacerdos hoc ſacramentum conficit in perſona Chriſti. Sed laicus ſanctus eſt vnitus Chriſto per charitatem. Ergo videtur, quod etiam laicus poßit hoc ſacramentum conficere. Vnde & Chryſ.* dicit ſuper Matt. quod omnis Sanctus eſt Sacerdos.

3. Præterea, Sicut baptiſmus ordinatur ad hominum ſalutem, ita & hoc ſacramentum, ſicut ex ſupra dictis patet.* Sed etiam laicus poteſt baptizare, vt ſupra dictum eſt. *Non ergo eſt proprium Sacerdotis conficere hoc ſacramentum.

4 Præterea, Hoc ſacramentum perficitur in conſecratione materiæ Sed alias materias conſecrare ſcilicet chriſma, & oleum ſanctum, & oleum benedictum, pertinet ad ſolum Epiſcopum, quorum tamen conſecratio non eſt tantæ dignitatis, ſicut conſecratio Euchariſtiæ, in qua eſt totus Chriſtus. Ergo non eſt proprium Sacerdotis, ſed ſolius Epiſcopi, hoc ſacramentum conficere.

Sed contra eſt, quod Iſidor.* dicit in quadam Epiſtola, & habetur in Decret. diſt. 25. Ad presbyterum pertinet hoc ſacramentum corporis & ſanguinis Domini in altari Dei conficere.

Reſpondeo dicendum, quod (ſicut ſupra dictum eſt*) hoc ſacramentum eſt tantæ dignitatis, quod non conficitur, niſi in perſona Chriſti. Quicunq; autem aliquid agit in perſona alterius, oportet hoc fieri per poteſtatem ab illo conceſſam. Sicut autem baptizato conceditur à Chriſto poteſtas ſumẽdi hoc ſacramentum, ita Sacerdoti, cum Ordinatur, confertur poteſtas hoc ſacramentũ conſecrandi in perſona Chriſti. Per hoc enim ponitur in gradu eorum, quibus dictum eſt à Domino: hoc facite in meam commemorationem. Et ideo dicendum eſt, quod proprium eſt Sacerdotum conficere hoc ſacramentum.

Ad primum ergo dicendum, quod virtus ſacramentalis in pluribus conſiſtit, & non in vno tantum: ſicut virtus baptiſmi conſiſtit in ipſis verbis, & in aqua. Vnde & virtus conſecratiua non ſolum conſiſtit in ipſis verbis, ſed etiam in poteſtate Sacerdoti tradita in ſua conſecratione & ordinatione, cum ei dicitur ab Epiſcopo; Accipe poteſtatem offerendi in Eccleſia ſacrificium tam pro viuis, quam pro mortuis. Nam & virtus inſtrumentalis in pluribus inſtrumentis conſiſtit, per quæ agit principale agens.

Ad ſecundum dicendum, quod laicus iuſtus vnitus eſt Chriſto vnione ſpirituali per fidem & charitatem, non autem per ſacramentalem poteſtatem. Et ideo habet ſpirituale Sacerdotium ad offerendum ſpirituales hoſtias, de quibus dicitur in Pſalm. 50. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus: & Rom.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

& Rom. 12 Exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem. Vnde & 1. Petr. 2. dicitur: Sacerdotium ſanctum, offerre ſpirituales hoſtias.

Ad tertium dicendum, quod perceptio huius ſacramenti non eſt tantæ neceſsitatis, ſicut perceptio baptiſmi, vt ex ſupra dictis patet. *Et ideo, licet in neceſsitatis articulo laicus poſsit baptizare, non tamen poteſt hoc ſacramentum conficere. (Præt ar. 11. ad 2. & 71. ar. 3.)

Ad quartum dicendum, quod Epiſcopus accipit poteſtatem vt agat in perſona Chriſti ſuper corpus eius myſticum, id eſt, ſuper Eccleſiam. Quam quidem poteſtatem non accipit Sacerdos in ſua conſecratione, licet poſsit eam habere ex Epiſcopi commiſsione. Et ideo, ea quæ non pertinent ad diſpoſitionẽ corporis myſtici non reſeruantur Epiſcopo, ſicut conſecratio huius ſacramenti. Ad Epiſcopum vero pertinet, tradere non ſolum populo, ſed etiam Sacerdotibus ea, ex quibus poſſunt proprijs officijs vti. Et quia benedictio chriſmatis, & olei ſancti, & olei infirmorum, & aliorum, quæ conſecrantur (puta, altaris, Eccleſiæ, veſtium, & vaſorum) præſtat quandam idoneitatem ad ſacramenta perficienda, quæ pertinent ad officium Sacerdotum, ideo tales conſecrationes Epiſcopo reſeruantur: tanquam Principi totius Eccleſiaſtici ordinis.

COMMENTARIVS.

ACtio miniſtri in hoc ſacramento duplex eſt ſcilicet effectio eius, & diſpenſatio: in cæteris enim ſacramentis hæc duo non diſtinguuntur, quia conſiſtunt in vſu, & ideo effectio, & applicatio ad vſum, quæ fit, cum diſpenſatur ſacramentum, idem ſunt in eis: hoc vero ſacramentum conſiſtit in facto eſſe, & ideo prius fit, & poſtea diſpenſatur, ſeu applicatur ad vſum: diſtinguuntur ergo in illo hæ duæ actiones. Inter quas notari poteſt hæc differentia, quod confectio ſacramenti quædam requirit ex parte miniſtri, vt rata ſit & valida; quædam vero, vt digne ac debite fiat, diſpenſatio vero, cum iam ſupponat ſacramẽtum factum, non poteſt eſſe irrita ex parte dantis, dũ modo ex parte rei, quę datur, ſit vera Euchariſtia cõſecrata, & ideo in hac actione ſolum ſuperſunt conſideranda ea quę neceſſaria ſunt, vt digne fiat: Diuus Thomas ergo in hac quæſtione omnia hæc promiſcue tractat & conſiderat, quæ nos claritatis & methodi ſeruandæ cauſa diſtinguenda cenſuimus, & diuerſis locis tractanda. De prima ergo actione, & de his, quæ neceſſaria ſunt, vt effectio huius ſacramenti ſit rata, dictum fuit ſupra diſp. 52. Vbi ad declarandam cauſam efficientem huius ſacramenti, neceſſario id attingendum fuit, & ibi explicatum reliquimꝰ hunc primum articulum. Quia vera actio, qua fit hoc ſacramentum, vt ſacramentum, eſt eadem omnino cum ea, qua immolatur, vt ſacrificium eſt, ideo de illa dicendum erit iterum, quamuis ſub diuerſa ratione, infra in materia de ſacrificio; & in parte morali illius materię explicabimus obiter, quæ obſeruare debet miniſter, vt huiuſmodi actionem digne exequatur: & ideo nihil amplius hoc loco de illa ſupereſt dicendum, ſolum de his, quæ obſeruare debet miniſter vt digne hoc ſacramentum diſpenſet, de quo ſtatim ſermo fiet.

ARTICVLVS II.

Vtrum plures Sacerdotes poſsint vnam & eandem hoſtiam conſecrare.

(4. d. 13. q. 1 ar 2. q. & 67. ar. 6.) AD ſecundum ſic proceditur, Videtur quod plures Sacerbotes non poſſunt vnam & eandem hoſtiam conſecrare: dictum eſt enim ſupra,* quod plures non poſſunt ſimul vnum baptizare. Sed non minor vis eſt Sacerdotis conſecrantis, quam hominis baptizantis. Ergo etiam non poſſunt ſimul plures vnam hoſtiam conſecrare.

2, Præterea, Quod poteſt fieri per vnum, ſuperflue fit per multos. In Sacramentis autem nihil debet eſſe ſuperfluum. Cũ ergo vnus ſufficiat ad conſecrandum videtur, quod plures non poſsint vnam hoſtiam conſecrare.

3. Præterea: Si, ut dicit Auguſt.* ſuper Ioannem, hoc ſacramentum eſt ſacramentum vnitatis. Sed contrarium vnitati eſſe videtur multitudo. Ergo non videtur conueniens eſſe huic ſacramento, quod plures ſacerdotes eandem hoſtiam conſecrent. (Tract 26. in Ioan. 19.)

Sed contra eſt, quod ſecundum conſuetudinem quarundam Eccleſiarum, ſacerdotes, cum de nouo Ordinantur, concelebrant Epiſcopo Ordinanti.

Reſpondeo dicendum, quod (ſicut dictum eſt) ſacerdos, cũ Ordinatur conſtituitur in gradu eorum qui à Domino acceperunt poteſtatem conſecrandi in cœna. Et ideo ſecundum cõſuetudinem quarundam Eccleſiarum, ſicut Apoſtoli Chriſto cœnanti cœnauerunt, ita noui Ordinati, Epiſcopo Ordinanti concelebrant. Nec propter hoc iteratur conſecratio ſuper eandem hoſtiam, quia ſicut Inn. III.* dicit omnium intentio debet ferri ad idem inſtans conſecrationis. (Art. præt.) (Lib 4. de ſacro altaris myſterio c. 25 circa med.)

Ad primum ergo dicendum, quod Chriſtus non legitur ſimul baptizaſſe cũ Apoſtolis, quando iniunxit eis officiũ baptizandi. Et ideo non eſt ſimilis ratio.

Ad ſecundum dicendum, quod ſi quilibet Sacerdotum operaretur in virtute propria, ſuperfluerent alij celebrantes, vno ſufficienter celebrante. Sed quia Sacerdos non conſecrat, niſi in perſona Chriſti multi autem ſunt vnum in Chriſto, ideo non refert, vtrum per vnum aut multos, hoc ſacramentum conſecretur, niſi quod oportet ritum Eccleſiæ ſeruare.

Ad tertium dicendum, quod Euchariſtia eſt ſacramentum vnitatis Eccleſiaſticæ, quæ attenditur ſecundum hoc, quod multi ſunt vnum in Chriſto.

COMMENTARIVS.

DE hac re tractauimus ſupra, in prædicta diſputatione de cauſa efficiente huius ſacramenti. Solũ eſt circa literam D. Thomæ aduertendum cum quærit, an hoc poſsit fieri, nõ tantum interrogare, an poſſit valide, ſed etiam an poſsit licitè fieri, hac enim ratione poſuit in ſolutione ad 2. illa verba: Niſi quod oportet ritum Eccleſiæ ſeruare: nam, licet, vt validum ſit ſacramentum, non referat, an per vnum vel multos conſecretur, vt ibidem dicitur: tamen, vt licite fiat, oportet, vt iuxta ritum & conſuetudinem Eccleſiæ, & non aliter fiat: in re n. adeo graui non licet nouum ritum in Eccleſiam introducere priuata authoritate: & ideo in argumento, ſed contra, ex quadam Eccleſiæ conſuetudine probat D. Th. hoc poſſe fieri, & in corpore nihil aliud agit, quam congruentẽ quãdam rationem illius conſuetudinis reddere; ob quã rationabilis cenſeatur: nam quod ad valorem ſacramenti ſufficiat, D. Thom. nõ tam probat, quam ſupponit. Et iuxta eundem ſenſum intelligendam cenſeo differentiam, quam in ſolutione ad 1. ponit inter Euchariſtiam & Baptiſmum, vt magis poſsit Euchariſtia à pluribus miniſtris fieri, quam Baptiſmus, ſcilicet, quia Chriſtus ſimul communicauit cum Apoſtolis, quando eis iniunxit officium conſecrandi, nõ tamen legitur, ſimul baptizaſſe cum Apoſtolis, quando eis iniunxit officium baptizandi: hæc enim ratio, ad ſummum, probat fuiſſe aliquam congruentiam, vt magis vna cõſuetudo introduceretur, quam alia, ratione cuius nunc magis vnum etiam liceat, quã aliud. Quoad poteſtatem vero ſimpliciter, vt factum ſcilicet, teneat, nulla eſt differẽtia, ſi de eadem pluralitatẽ miniſtrorũ ſermo ſit, vt patet ex tractatis citato loco his adiũctis, quæ in ſimili quæſtione de baptiſmo diximus.

## ARTICVLVS III.

Vtrum diſpenſatio huius ſacramenti pertineat ſolum ad Sacerdotem.

*4 c 21 q. 2. a. 1 q. 1. ad 3 Et d. .. q. 1. & 2 Vt habetur in eius legẽda*

A*D tertium ſic proceditur. Videtur, quod non pertineat ſolum ad Sacerdotem diſppenſatio huius ſacramenti. Sanguis enim Chriſti non minus pertinet ad hoc ſacramentum, quam corpus. Sed ſanguis Chriſti diſpenſatur per Diaconos, vnde & beatus Laurentius* dixit beato Sixto. Experire, vtrum idoneum miniſtrum elegeris, cui commiſiſti Dominici ſanguinis diſpenſationem. Ergo & pari ratione diſpenſatio corporis Chriſti, non pertinet ad ſolos Sacerdotes.*

*2. Præterea, Sacerdotes conſtituuntur miniſtri Sacramentorum. Sed hoc ſacramentum perficitur in conſecratione materiæ, non in vſu, ad quem pertinet diſpenſatio. Ergo videtur, quod non pertineat ad Sacerdotem corpus Domini diſpenſare.*

*3. Præterea, Dionyſ. dicit in lib. Eccleſ. Hierar. quod ſacramentum habet perfectiuam virtutem, ſicut & Chriſma. Sed ſignare chriſmate baptizatos, non pertinet ad Sacerdotem, ſed ad Epiſcopum. Ergo etiam diſpenſare hoc ſacramentum, pertinet ad Epiſcopum, non ad Sacerdotem.* — *Cap. 3. Eccl. hier. p. 1. &c.*

*De conſe. d. 2 c. Peruenit*

*Sed contra eſt, quod dicitur* de Conſecratione, diſtinctione. 2. c. Peruenit ad notitiam noſtram, quod quidem preſbyteri laico aut fœminæ corpus Domini tradunt ad deferendum infirmis: igitur interdicit Synodus, ne talis præſumptio vlterius fiat, ſed preſbyter per ſemetipſum infirmos communicet.*

*Reſpondeo dicendum, quod ad Sacerdotem pertinet diſpenſatio corporis Chriſti, propter tria. Primo quidem, quia (ſicut dictum eſt*) ipſe conſecrat in perſona Chriſti. Ipſe autem Chriſtus, ſicut conſecrauit corpus ſuum in cœna, ita & alijs ſumendum dedit. Vnde ſicut ad Sacerdotem pertinet conſecratio Corporis Chriſti, ita ad eum pertinet diſpenſatio. Secũdo, quia Sacerdos conſtituitur medius inter Deum & populum. Vnde ſicut ad eum pertinet dona populi, Deo offerre, ita ad eum pertinet, dona ſanctificata diuinitus populo tradere. Tertio, quia in reuerentiam huius ſacramenti, à nulla re contingitur, niſi conſecrata. Vnde & corporale & calix conſecrantur, & ſimiliter manus Sacerdotis, ad tangendum hoc ſacramentum. Vnde nulli alij tangere licet, niſi in neceſsitate, puta, ſi caderet in terram, vel in aliquo alio neceſsitatis caſu.* — *Ar. 2. huius quæſt.*

*Ad primum ergo di endum, quod Diaconus, quaſi propinquus Ordini ſacerdotali, aliquid participat de eius officio, vt ſcilicet, diſpenſet ſanguinem, non autem corpus, niſi in neceſsitate, iubente Epiſcopo, vel presbytero. Primo quidem, quia ſanguis Chriſti continetur in vaſe: vnde non oportet, quod tangatur à diſpenſante, ſicut tangitur corpus Chriſti Secundo, quia ſanguis deſignat redemptionem à Chriſto in populum deriuatam: vnde & ſanguini admiſcetur aqua, quæ ſignificat populum. Et quia Diaconi ſunt inter Sacerdotem & populum, magis conuenit Diaconis diſpenſatio ſanguinis, quam diſpenſatio Corporis.*

*Ad ſecundum dicendum, quod eiuſdem eſt hoc ſacramentum diſpenſare, & conſecrare, ratione iam dicta.*

*Ad tertium dicendum, quod, ſicut Diaconus in aliquo participat illuminatiuam virtutem ſacerdotis, in quantum diſpenſat ſanguinem, ita ſacerdos participat perfectiuam diſpenſationem Epiſcopi, in quantum diſpenſat hoc ſacramentum, quo perficitur homo ſecundum ſe, per comparationem ad Chriſtum. Aliæ autem perfectiones, quibus homo perficitur per comparationem ad alios, Epiſcopo reſeruantur.*

## DISPVTATIO LXXII.

*De præceptis & obligationibus ad miniſtros Euchariſtiæ diſpenſatores pertinentibus.*

HÆc eſt vltima diſputatio moralis pertinens ad Euchariſtiam, vt ſacramentum eſt, in qua breuiter dicemus, quis poſsit licite diſpenſare: deinde, cum quib. poſſit licite diſpenſare, ac tandem, quomodo digne, & licite diſpenſabit. — *Diſp. ... Euchar.*

### SECTIO I.

*Vtrum ſolus Sacerdos poſsit hoc ſacramentum iure ac licite diſpenſare.*

QVidam ſentiunt, ex diuino iure ſolos Sacerdotes poſſe licite miniſtrare ſacramentum, Soto diſt. 13. q. 1. art. 3. Ledeſma qu. 23. art. 3. Et videtur eſſe ſententia D. Thomæ hic, qui, licet non addat, hoc eſſe diuinum ius, tamen abſolute docet diſpoſitionem huius ſacramenti ad Sacerdotes pertinere. Et poteſt primo probari ex illo. 1. ad Corint. Sic nos (id eſt, Sacerdotes) exiſtimet homo vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei: nam, ſi in genere de ſacramẽtis hoc dicit Paulus, multo magis de hoc ſacramento, quod omnium eſt digniſsimũ, & ſumma veneratione tractandum. Secundo ex verbo illo; (Hoc facite) nam vt hoc verbum demonſtrabat Chriſti actiones, ad ſolos Sacerdotes pertinet: Chriſtus autem & conſecrauit, & diſpenſauit: ergo vtrumque commiſit Sacerdotibus ſolis. Tertio ex Concilio Rhemenſ. ca. 2. in c. Peruenit, de Conſecrat. d. 2. vbi horribile & deteſtãdum dicitur, quod per laicos Euchariſtia ad infirmos mittatur, qua exaggeratione & dicendi modo ſatis indicatur, illam non eſſe nouam vel Eccleſiaſticam prohibitionem, ſed reprehenſionem actionis per ſe iniquæ, & iuri diuino contrariæ: & videntur ibi omnes alij gradus excludi: nam concludit textus, vt presbyter per ſemetipſum infirmum communicet, quod ſi aliter fecerit, gradus ſui periculo ſubiaceat. Quarto accedit conſuetudo Eccleſiæ ratione fundata: nam, quia ſolus Sacerdos ſacrificat, ideo ad illum ſolum ſpectat, quæ Deo obtulit, populo communicare. Vnde ait Dionyſ. cap. 3. de Eccleſ. Hierar. par. 2. & 3. Orat Sacerdos, vt ſacramenta ſancte conficiat, & caſte diſtribuat. — *Quorundam placitum. Soto. Ledeſma. Conc. Rhem. Dionyſ.*

In contrarium eſſe videtur, quia ex antiqua Eccleſiæ conſuetudine conſtat, hoc ſacramentum interdum eſſe diſpenſatum à Diaconis, præſertim, quoad ſpeciem ſanguinis, quando hæc populo dabatur, vt colligitur ex Clem. libr. 8. Conſt. capit. 2. & ex verbis Cyprian. lib. de Lapſis circa finem; Solemnibus adimpletis, Diaconus calicem offerre præſentibus cœpit. & ex verbis Laurentij ad Sixtum. Experire, vtrũ idoneum miniſtrum elegeris, cui cõmiſiſti Dominici ſanguinis diſpenſationem. Et ex antiquis liturgijs idem conſtat, qui vſus forte inde manauit, quod tunc frequenter fideles communicabant, & ideo, vt breuius & commodius fieret, commiſſum eſt Diaconis, vt presbyteros in eo munere iuuarent; quia vero prius dabatur corpus, quam ſanguis, ideo præcedebat Sacerdos offerens corpus, & ſequebatur Diaconus miniſtrans calicem; quod etiam ideo facilius concedi potuit, quia ad miniſtrandum corpus, oportet illud tangere manibus, ad diſpenſandum vero ſanguinem ſatis eſt, calicem attingere. Vnde nunc etiam Romæ, cum Pontifex ſolemniter miniſtrat, corpus prius proprijs manibus ſumit: Diaconus vero ei poſtea ſanguinem miniſtrat. Hæc autem differentia non refert, quo minus intelligamus, iure diuino idem di- — *Clement. Cyprian.*



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

cendum eſſe de vtraq; ſpecie: quia Scriptura indifferenter de eis loquitur. Quid? quod aliquando etiam legimus, vtramq; ſpeciem per Diaconos fuiſſe miniſtratam apud Iuſtin. Apol. 2. pro Chriſtianis circa fin.

*Iuſtin.*

vbi ſic ſcribitur: Abſoluta gratiarum actione Præſulis, & ominatione totius plebis, Diaconi (quos vocamus) dant ſingulis præſentib. partem panis, & calicis diluti, ſuper quos facta eſt gratiarum actio, quod alimentum apud nos vocatur Euchariſtia. Et ſaltem in neceſsitate, Diaconos miniſtraſſe corpus Domini, ex Epiſcopi, vel Presbyteri facultate, conſtat ex Concilio Niceno c. 14. Arel. c. 15. expreſsius Carth. IV. ca. 38.

*Conc. Nicen. Arelaten. Carth. IV.*

Diaconus præſente presbytero Euchariſtiam corporis Chriſti populo, ſi neceſsitas cogat, iuſſus eroget. Adde, interdum, licet raro, legi miſſam Euchariſtiam ad infirmum per laicum, apud Euſ. l. 6. Hiſt. c. 36. Notauimus ẽt ſupra agentes de reali præſentia, ſolitum eſſe dari corpus Chriſti in manibus laicorum, præſertim virorum, vt ſe communicarent: retulimus etiã, ſolitos eſſe fideles ſecum deferre Euchariſtiam in proprias domos, vt ibi priuatim communicarent. Hæc autem omnia eſſent contra ius diuinum, ſi ſolus Sacerdos poſſet hoc ſacramentum diſpenſare: quia in his omnibus includitur adminiſtratio huius ſacramenti per alios plures facta, quam per Sacerdotes.

*Dubium.*

Vt veritatem explicemus, aduertendum eſt, aliud eſſe diſpenſatiue, ſeu ex poteſtate diſtribuere hoc ſacramentum: aliud vero illud tangere, deferre, aut ad os ſumentis applicare: quamuis enim hæc omnia ſæpe in vna actione coniungantur, vt nunc in Eccleſia fit: tamen ſeparabilia ſunt, & interdum ſunt ſeparata vt declaratur facile in prima diſpenſatione huius ſacramenti, quæ in cœna Dominica facta eſt, in qua ſolus Chriſtus fuit proprius diſpenſator huius ſacramenti: ex poteſtate & authoritate propria illud diſtribuens, & dicens: Accipite & comedite: & tamen vt eſt probabiliter opinio, & ipſa verba indicãt, non applicuit ipſe propria manu panem conſecratum ad ora Apoſtolorum, ſed obtulit tãtum catinum, & ipſi proprijs manibus ſumpſerunt, quod in calice eſt euidentius ex illis verbis: Accipite, & diuidite inter vos; fuit ergo per proprias Apoſtolorum manus ab vno in alium delatus: ibi ergo ſaparata fuit actio dãdi ſeu diſtribuendi ab actione, qua proxime fuit applicatum ſacramentum ad os ſumentis: imo hæc poſterior actio potius ſe habuit per modum vſus paſsiui, ſeu receptionis, quam per modum vſus actiui, ſeu diſtributionis: & hoc ipſum declarat antiqua conſuetudo dandi ſacramentum in manibus communicantium, vt ipſimet acciperent, quod interdum ſtatim fiebat in præſentia ipſiuſmet dantis: interdum vero poſtea in proprijs domibus, quando ſacramentum illuc deferebant, & illa receptio ſic facta poteſt dici priuata, reſpectu eius, quæ publice & ſolenniter fit coram Eccleſiæ miniſtro.

*1. Concluſ.*

Dico primo, primum ius, ſeu ordinaria poteſtas & authoritas diſpenſandi hoc ſacramentum eſt penes ſolos Sacerdotes ex diuino iure. Hic eſt ſenſus Diui Thomæ hic, & in 4. diſt. 13. q. 1. art. 2. vbi Richard. art. 1. q. 3. Durand. q. 4. Paludan. qu. 2. art. 4. & ſumitur ex Concil. Trident. ſeſſ. 13. cap. 8. vbi traditione Apoſtolica deſcendere dicit, vt laici à Sacerdotib[9] communionem accipiant: nam ſemper hic mos fuit in Eccleſia obſeruatus.

*D. Thom. Richard. Durandus. Paludanus. Conc. Tridẽt.*

Et primo declaratur, quia nunc ſermo eſt de poteſtate Ordinis, non iuriſdictionis, de qua ſectione ſequente: ſupponimus enim poteſtatem iuriſdictionis non conuenire iure diuino omnibus Sacerdotibus, & interdum etiam poſſe reperiri abſq; ſacerdotali charactere, quamuis per ſe loquendo, illum reſpiciat, & requirat, vt ſit in ſubiecto veluti connaturali, & conuenienter diſpoſito ad potiſsimos actus ſacros, ſeu ſacramentales exercendos. Quo fit, vt quamuis aliquis habeat poteſtatem iuriſdictionis ante characterem Sacerdotis, non poſsit legitime per ſe ipſum corpus Domini diſpenſare: quia deeſt illi poteſtas Ordinis. Quod ergo ſacerdotalis Ordo in eo genere per ſe ſufficiat ad hoc miniſterium diſpenſandi hoc ſacramentum, euidens eſt per ſe ex praxi, & perpetua conſuetudine totius Eccleſiæ, & patet etiam ex Concilijs, Niceno, Arelat. Carthag. ſupra citatis, quæ dicunt: Diaconos in neceſsitate & iuſſu Presbyteri hoc poſſe: de Presbytero autem minime, ſed ordinarie, & propria poteſtate.

*Cle. Rom.*

Vnde Clemens Papa lib. 8. Conſtit. c. 28. alias 34. Diaconus (inquit) non offert: oblationem vero ab Epiſcopo, vel Presbytero factam dat populo, non tanquam Sacerdos, ſed tanq̃ qui miniſtrat Presbytero: id eſt, non tãquam is, qui ex vi ſuæ Ordinationis hoc poteſt, quaſi ordinario iure, ſed vt organum ſeu inſtrumẽtum alterius, & ex his teſtimonijs ſimul conſtat, ſolum Preſbyterum habere hoc: quia ſi Diaconus non habet multo minus alij inferiores. Item, Sacerdos habet hanc poteſtatem, tanquam neceſſario annexam poteſtati, quam habet ſupra corpus Domini, nam, ſi poteſtatem habet ad conſecrandum illud, rationabile eſt, vt multo magis habeat ad diſpenſandum, quantum ex vi poteſtatis Ordinis: inferiores vero non habent poteſtatẽ conficiendi: & ideo neq; ordinariã poteſtatẽ diſpenſandi ex vi ſuæ Ordinationis recipiunt.

*Illatio.*

Atque hinc etiam intelligitur, quare, & quo ſenſu dicatur hoc eſſe iure diuino: nam inprimis, quod iure diuino hoc conueniat Sacerdoti, probant omnia, quæ in prima ſententia allata ſunt, & decreta nuper adducta: quæ non cenſent hoc conuenire Presbytero ex conceſsione Eccleſiæ, ſed ex ſe. Et declaratur in hũc modum: quia poteſtas Ordinis ſacerdotalis ex iure diuino ſufficit in ſuo genere ad proprios actus circa corpus Chriſti exercendos, tam verum, quam myſticum: hæc autem poteſtas diſpenſandi, & verſatur circa corpus Chriſti verum, annexaque eſt poteſtati cõficiendi, vt dixi: & aliquo modo verſatur circa corpus myſticum, quatenus hoc cibo paſcitur, & ad illud ſuſcipiendum diſponitur. Quod vero hoc conueniat ſoli Sacerdoti iure diuino: duobus modis intelligi poteſt. Primo, mere negatiue, ſcilicet, quia ius diuinum hoc dedit Sacerdotibus, non autem inferiorib[9]: & hoc ſenſu eſt res clara, & certa: quia nulli præterq̃ Sacerdoti, data eſt poteſtas Ordinis in corpus Chriſti verum: neque etiam in corpus Chriſti myſticum, quantum ad proprios & perfectos actus ſanctificandi, & paſcendi illud. Ac deniq;, quia Sacerdos eſt qui ex proprio munere conſtituitur pro hominibus in his, quæ ſunt ad Deum. Alio ſenſu poteſt hoc intelligi priuatiue, ita vt nõn ſolum non ſit omnibus non Sacerdotibus data iure diuino ſpecialis poteſtas ad diſpenſandum hoc ſacramentum, ſed etiam prohibitum eis ſit, huiuſmodi actum exercere: & hic ſenſus non eſt ita certus, ſed, ad ſummum cum hac limitatione intelligendus eſt, ſ. vt nullus inferior ſine commiſsione ſacerdotis hoc munus ſibi vſurpet, vt ex dicendis patebit.

*Quamquam ſolis ſacerdotib. iure diuino data ſit poteſtas diſtribuendi Euchariſtiã, non tamen neceſſarium eſt, vt per ſe ipſos eam exequantur.*

Dico ergo ſecundo, licet ſoli Sacerdotes habeant hanc poteſtatem diuino iure, non tamen eſt eodem iure neceſſarium, vt per ſe ipſos illam exequantur, neque eſt eis prohibitum, quin aliorum opera & miniſterio in hoc vti poſsint, ſed hoc eſt diſpoſitioni Eccleſiæ commiſſum. Hoc probant ſaltem quoad Diaconos, quæ de antiqua Eccleſiæ conſuetudine ſecũdo loco adduximus, & omnia decrẽta citata. Ratio à priori ſumenda eſt ex Chriſti voluntate, & inſtitutione, quam vſus Eccleſiæ ita declarauit; poteſt aũt fundari in propria ratione talis ſacramenti: in alijs enim non diſtinguitur vſus à ſacramento ipſo: & ideo cui ex diuino iure datum non eſt, vt poſsit conficere ſacramẽtũ, eidem prohibitum eſt, ne poſsit illud diſpenſare: non n. poſſunt illa duo ſeparari: hic vero effectio & collatio ſacramenti ſunt diſtinctæ & ſeparabiles, & ideo non eſt neceſſe, vt cui non eſt data poteſtas conficiendi, ſit ſemper, & iure diuino prohibita diſpenſatio; & quia vſus huius ſacramenti eſt

extra

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

extra ſubſtantiam eius, ideo non repugnat, vt alicui poſsit diſpenſatio cõmitti, cui non poteſt ſacramenti confectio delegari: quia ea, quæ ſubſtãtialia ſunt, immutabilia: accidentalia vero facilius variationem recipiunt: præſertim, quando iam ſubſtantia ſacramẽti effecta ſupponitur. Vnde hic etiam applicari poteſt doctrina Concilij Tridentini: ſcilicet, ſalua ſubſtantia ſacramentorum, Chriſtum commiſiſſe Eccleſiæ, quæ ad eorum diſpenſationem pertinent: nam quod hoc ſacramẽtum diſpenſetur à Sacerdote, vel à Diacono, nõ ſpectat ad ſubſtantiam ſacramenti; ergo in hoc nihil præciſe ſtatuit ius diuinum, ſed cõmiſſum eſt Eccleſiæ diſpoſitioni. Tandem addere poſſumus congruentiam, quia, nec tale ius diuinum ſatis oſtẽdi poteſt, neque fuit neceſſarium: quia interdum poteſt ad vtilitatem fidelium pertinere: vt per alium, quam per Presbyterum detur hoc ſacramentum: & poteſt fieri cum debita reuerentia.

*Quæſito reſpondetur*

Sed quæret aliquis, an iure diuino prohibitum ſit ne hoc miniſteriũ cõmittatur Diacono, extra caſum neceſsitatis: inferioribus vero nec in neceſsitate. Reſpondeo, rem eſſe incertam, probabilius tamen videri, nihil circa hoc eſſe ſpecialiter diſpoſitum diuino iure, præter id, quod ipſa naturalis ratio dictat, ſuppoſita inſtitutione huius ſacramenti, de veneratione & reuerentia, qua contrectandũ & diſpenſandum eſt: & hoc indicant cõſuetudines variæ, quas retulimus, nemo enim prudens eas, vt diuino iuri contrarias damnauit. Hoc etiam probat doctrina Concilij allegata: Et denique, quia nullum eſt principium ſufficiens, in quo tale ius fundari poſsit. Dices: hæc actio diſpenſandi hoc ſacramentũ eſt ſupernaturalis: ergo exerceri non poteſt licite abſque ſupernaturali poteſtate: ergo hoc ipſo, quod Chriſtus non dedit inferioribus poteſtatem ad huiuſmodi actionem, eam ipſis prohibuit. Reſpondetur, inprimis negari poſſe, illam actionem eſſe ſupernaturalem proprie ac formaliter, ſed tantum materialiter ex parte rei, quę ſub ſpeciebus ſacramentalibus datur: & ob hanc cauſam dici poſſet, ad eam actionem nullam eſſe neceſſariam poteſtatem ſupernaturalem: ſed ſolum, quod in re ipſa ſupponatur ſnpernaturalis cõſecratio facta. Sed, licet hoc verum ſit, conſiderando actionem illam metaphyſice, tamen conſiderando illam moraliter, merito dici poteſt ſupernaturalis: quia eſt diſpẽſatio cuiuſdam rei ſupernaturalis in ordine ad ſupernaturalem finem & bonum animarum, & ideo ius illius ſecundum poteſtatem excellentiæ ad ſolum Chriſtũ pertinet, ſecundum poteſtatem autem participatam ad alios ſpectat, iuxta Chriſti Domini conceſsionem, & ordinationem, vt autem actus licite fiat, non tantum phyſice, ſed moraliter conſiderandus, vt per ſe conſtat, & ideo ſine poteſtate & conceſsione aliqua ſupernaturali non poteſt hæc actio legitime fieri. Reſpondetur ergo ſecundo, illas rationes ſolum probare, iure diuino eſſe prohibitam hanc actionem inferioribus absque conceſsione Sacerdotis, vel abſque neceſsitate quæ illi æquivaleat, vt iam dicemus: facta autem huiuſmodi conceſsione per eam aliquo modo extenditur, & communicatur illis poteſtas ſupernaturalis, per quandam delegationem extrinſecam, ſeu coniunctionem quandam moralem inſtrumenti cum ſuo principali agente, & hoc eſt ſatis, vt actio illa, per ſe loquendo & ſtando in iure diuino, licite fiat.

*Eccleſiaſtica lege ſancitũ eſt vt ſoli Presbyteri ſe ipſis regulariter Euchariſtiã deſtribuant In neceſſitate verò ſoli Diacono ex Presbyte-*

Dico tertio, nunc iuxta præſentem praxin Eccleſiæ ſolos Sacerdotes poſſe per ſe diſpenſare hoc ſacramentum, in caſu vero neceſsitatis poſſe id committere tantum Diacono. Ita ſentiunt Theologi citati, & præterea Alenſ. 2. parte. quæſt. 50. membr. 3. & Summiſtę, verbo, Euchariſtia, & verbo, Communio Et ad hanc doctrinam declarandam, eſt obſeruandum primo, ſuppoſita conſuetudine, quam iam tenet Eccleſia communicandi populum ſub vna tantum ſpecie panis, doctrinam hanc conſentaneam etiam eſſe traditioni & frequentiori vſui primitiuę Eccleſiæ, quæ ſemper fuit, vt corpus Domini per ſolos Presbyteros ordinarie diſpenſaretur: diſpẽſatio autem ſanguinis, quæ olim per Diaconos fiebat, iã ceſſauit. Secundo quod in caſu neceſsitatis hoc poſsit mitti Diacono, per Epiſcopum, vel Presbyterum, conſtat: quia non eſt ſpecialiter ab Eccleſia prohibitum. Quæri vero poteſt, an neceſſaria ſit iuſta aliqua cauſa, vt hæc facultas concedatur, & vt is, cui conceditur, ea legitime vtatur: Nam Syluеſter, verbo, Diaconus, ſignificat præceptum Epiſcopi vel Presbyteri ſufficere, etiam ſi nulla ſubſit cauſa, Quod tamen abſolute dictum, vt ſonat, non videtur verum, nam iura, quæ concedunt hanc facultatem, expreſſe requirunt rationabilem cauſam: ergo nulla iuſta cauſa intercedente, iniquum & contra iura eſſet tale mandatum: ergo non obligaret, imo neque ei obedire poſſet quando certo conſtaret, nullam interuenire huiuſmodi cauſam, ſecus vero eſſet, quando hoc non conſtaret: nãm tunc parendum eſſet ſuperioribus, vel credendum Epiſcopo, aut Presbytero cauſanti impedimentum, quamuis inferiori eſſet ignotum, maxime, quia non oportet hanc cauſam eſſe extremam, ſed moralem, vt quod Sacerdos ſit debilis, vel infirmus, &c. Quo fit, ſi præter Diaconum, ſint alij Preſbyteri, qui poſsint, & velint illud munus ſuſcipere, non poſſe Epiſcopum illud committere Diacono, neq; Diaconum illud acceptare, quia iam ceſſat omnis neceſsitatis ratio, & fortaſſe propter hãc cauſam fere nunquam hoc munus per Diaconos exercetur, quia nunquam moraliter loquendo, talis occurrit neceſsitas: eſt enim magnus Sacerdotum numerus: Diaconi vero pauci ſunt, & breui tempore in eo ſolo gradu conſiſtunt, & vbi contingit, vnum tantum eſſe Sacerdotem, vix reperiretur vnquam, quod Diaconum habeat, qui ſibi miniſtret.

*rerum commiſſum Alenſis.*

Difficultas vero eſt, quid facturus ſit Diaconus quando vrget neceſsitas communicandi infirmum, & nullus adeſt Sacerdos, qui, vel id per ſe faciat, aut facultatem faciẽdi Diacono tribuat, vel certe ſi adeſt neutrũ præſtare velit, ſed hominem potius deſerere, vt ſine viatico moriatur. Reſpondeo in priori caſu, ſi tanta ſit neceſsitas, vt moraliter timeatur, proximũ ſine viatico diſceſſurum, tunc Diaconum poſſe illud diſpenſare, vel quia tunc præſumitur interpretatiua voluntas Paſtoris, vel certe, quia pro tali caſu iure cõmuni cenſetur illi talis facultas conceſſa. Vnde in dicto can. Con. Carth. ſolum requiritur iuſſus Presbyteri, quando Presbyter adeſt, & ſumitur etiam ex Gelaſ. ep. 1. c. 9. & 20. vbi ſimpliciter hanc facultatem concedit Diacono in abſentia Presbyteri ob neceſsitatem, & idem fere habetur in Con. Nicen. c. 14. In alijs vero occaſionibus extra mortis articulum raro concedendum eſt Diacono, vt hac faultate vtatur, præſertim iuxta præſentem Eccleſiæ ſtatum, in quo fere omnino iam in diſſuetudinem abijt, vt Diaconi hoc munere fungãtur. At vero in alio caſu Sylueſter ſentit, non poſſe Diaconum miniſtrare in præſentia Presbyteri, etiam ſi ille ex malitia Diacono facultatem deneget, quia Diaconus non poteſt hoc facere, niſi vt inſtrumentum Presbyteri, tunc autem nõ poteſt Diaconus habere rationẽ inſtrumenti, ſi principale agens illum mouere nolit. Soto autem tenet contrarium, & mihi magis probatur, quando neceſſitas tanta eſt, vt viaticum ſit ægro miniſtrandum, quia præſentia Sacerdotis ſua poteſtate abutentis, ac ſi nulla eſſet, reputanda eſt, & recurrendum ad volũtatem interpretatiuam ſuperioris Epiſcopi, vel Pontificis, ſed ad commune ius, vel certe ſi neceſſe ſit ad Chriſti voluntatem, quæ in eo caſu cenſetur dediſſe huiuſmodi facultatem. ſemper autẽ ſupponendum eſt, & nullum eſſe graue ſcandalum, & ſatis conſtare, Sacerdotis vel ſuperioris voluntatem, hanc facultatem negantis eſſe iniquam: nam ſi fortaſſe aliquam iuſtam & rationabilẽ ſuæ negationis cauſam habeat,

*Gelaſ. Pap.*

*Conc. Nic.*

*Syluеſt.*

*Soto.*

tunc

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

tunc ceſſaret ratio præſumptionis, eiuſque voluntati merito parendum eſſet.

*Munus adminiſtrandi Euchariſtiã nullus Diaconus inferior obire poteſt.*

Vltimo dicendum eſt munus hoc non committendum inferiori clerico infra Diaconum, & multo minus laico. Ita ſentiunt communiter Doctores, citantq; dictum cap. Peruenit, quod certe, vel nihil, vel nimium probat, quia ibi nec Diaconus excipitur, ſed ſolus Presbyter per ſe præcipitur miniſtrare. Vnde neceſſe eſt intelligi: quando poteſt, & non vrget alia neceſsitas. Magis videtur hoc ſuadere conſuetudo Eccleſiæ: nunquam enim legimus, hoc ſacramentum fuiſſe miniſtratum per Subdiaconos, nedum per inferiores maxime laicos, quibus etiam ſacra vaſa tangere prohibitum eſt: ergo multo magis Euchariſtiam tangere. Sed, quamuis hæc doctrina communis, regulariter & extra caſum neceſsitatis vera ſit, tamen de caſu extremæ neceſsitatis merito dubitari poteſt, an ſit excipiendus, ne proximus ſine viatico moriatur. Nam Doctores idem in eo caſu ſentiunt, quibus in re morali contradicere difficile eſt. Ratio tamen videtur oppoſitum perſuadere, quia tunc non eſt ex natura rei malum, vel contra reuerentiam ſacramẽti, vt à laico, verbi gratia, miniſtretur, quia vel id eſſet malum propter contactum, & hoc non, quia, vt ſupra dixi, fideles ſolebant hoc ſacramentum manibus accipere, vel propter ſacramenti vſum, & hoc non, quia ſupponitur ex parte recipientis, & neceſsitas & diſpoſitio ſufficiens, & ex parte dantis, reuerentia debita & neceſsitas etiam, quia non adeſt alius, qui miniſtret, cur ergo talis vſus ex ſe malus eſt? Neq; etiam eſt malus, quia iure diuino prohibitus, quia, vt dixi, nullum eſt tale ius, neq; oſtendi poteſt, neq; etiam eſt malus, quia prohibitus iure Eccleſiaſtico, nullum enim eſt, quod ſpecialiter de hoc caſu neceſsitatis loquatur, & iura, quæ generaliter loquũtur, nunquam hunc caſum comprehendunt, qui ſemper cenſetur exceptus in huiuſmodi prohibitionibus, vt patet de excommunicatis, ſchiſmaticis, &c. Deniq; cõſuetudo Eccleſiæ, cum ad ſummum habeat vim legis poſitiuæ, eandem recipit interpretationem: præcipue, quia hic caſus tam rarus eſt, vt de illo non poſſit dici conſuetudo introducta: nam, ſi quãdo occurrit, etiam interdum legitur datum ſacramẽtum à laico: ergo ex nullo capite probari poteſt, hoc eſſe malum: ſed de hac re iterum inferius redibit ſermo.

## SECTIO II.

*Vtrum omnibus Sacerdotibus liberum ſit Euchariſtiam adminiſtrare.*

*Ratio dubij.*

RAtio dubitandi oritur ex præcedente ſectione: Nam Sacerdos habet hanc poteſtatem ab ipſo Chriſto, & eius actus non eſt iuriſdictionis, ſed Ordinis tantum: ergo poteſt ſuo arbitrio illum exercere, maxime ſi non ſit ab Eccleſia ſuſpenſus: ſicut poteſt ſua voluntate ſacrificium offerre pro aliquo. In contrarium eſt, quia non eſt liberum Sacerdoti dare Euchariſtiam in aliena Eccleſia, ſeu homini ſibi non ſubdito, ſine proprij Paſtoris facultate.

*Poteſtas hoc ſacramentũ miniſtrandi iuriſdictionẽ exigit vel facultatem ab eo qui iuriſdictione fruitur.*

In præcedente ſectione explicuimus poteſtatem Ordinis ad hoc munus neceſſarium, quam diximus communem eſſe omnib. Sacerdotibus, nunc agimus de poteſtate iuriſdictionis, an ſc. neceſſaria etiam ſit, vt hunc actum Ordinis exercere liceat. In qua re dicẽdum eſt, præter poteſtatem Ordinis requiri ẽt poteſtatem iuriſdictionis, & ideo non eſſe liberum cuilibet Sacerdoti hoc ſacramentum miniſtrare, ſed ſolum habenti iuriſdictionẽ reſpectu eius, cui illud adminiſtrat, vel facultatem ab eo, qui talem iuriſdictionem habet. Concluſio eſt certa & recepta ab omnib. & colligitur ex doctrina ſupra tradita de ſacramẽtis in genere: vbi oſtendimus, ſacramentorum adminiſtrationem iuriſdictionẽ requirere, vt licite fiat, vt etiam colligitur ex Clemen. Dudum, de ſepulturis. In particulari vero de hoc ſacramento in Conc. Carth. I. c. 7. ſic legitur. Statuat Grauitas veſtra, vnuſquisq; clericus, vel laicus, non communicet in aliena plebe abſq; literis Epiſcopi ſui, & omnes Epiſcopi reſponderunt. In hoc, clero & laicis conuenientiſsime prouideri. Et idem decernitur in Conc. Mileuit. cap. 18. quibus locis, licet prohibitio fiat ex parte communicantium, ne ab alienis Euchariſtiam percipiant, tamen relatio hæc mutata eſt, & reciproca obligatio. Quæ etiã in ipſo naturali iure fundata eſt ſuppoſita Chriſtianæ Reipub. inſtitutione, & debita gubernatione, vt nemo mittat falcem in meſsem alienam nec ius alienum vſurpet, alioqui nec iuſtitia aut pax ſeruari poſſunt, nec diuina myſteria conuenienter diſpenſari neq; animabus fidelium pro earum captu vel neceſsitate prouideri, & ideo antiqua etiam conſuetudine ſeruatũ eſt, vt, qui præeſt, hoc ſacramentum populo diſpenſet, vt colligere licet ex Dionyſ. c. 3. de Eccleſiaſtica Hierar. & Iuſtino apolog. 2. pro Chriſtia. & Tertul. lib. de Corona militis, cap. 3. & ex cap. Omnis vtriusq; ſexus, de Pœnit. & remiſ. Tandem, paſcere gregem Chriſti nõ eſt munus cuiuſcunq; Sacerdotis: ſed proprij Paſtoris, propter quod etiam actus publice cõcionandi hoc ius aliquo modo requirit: quia eſt actus paſcendi oues: ergo multo magis requiritur in diſpenſatione huius ſacramenti, quod, & eſt potiſsimum animæ cibus, & maiorem diſpoſitionem in ſuſcipiente requirit.

*Conc. Cart.*

*Mileuit.*

*Dionyſ.*

*Iuſtin.*

*Tertull.*

*Illatio.*

Hinc ſequitur eſſe peccatum mortale, miniſtrare hoc ſacramentum ſine debita iuriſdictione aut facultate, vt omnes docent, quia eſt alienum vſurpare ius in re graui, & cum animarum periculo, per ſe loquendo & contra pacem & debitã gubernationẽ, & ordinem Eccleſiæ: intelligendum autem hoc eſt ex ſuo genere, quia ſi intercedat bona fides, & interpretatiua, ſeu pſumpta voluntas Paſtoris, ꝓbabili cauſa, excuſari poterit peccatum, vel omne, vel ſaltem mortale. In quo eſt notanda differentia inter hoc ſacramentum & pœnitentiam: nam in confeſsione neceſſe eſt, vt antecedat iuriſdictio, quia ab illa pendet ſubſtantia actus, & ideo non ſufficit ad illam ratihabitio de futuro, nec præſumptio cõſenſus poſtea pręſtandi, ſed requiritur præcedens voluntas dandi iuriſdictionem, hic vero iuriſdictio non requiritur ad ſubſtantiam actus, ſed ad debitum ordinem & modum: & ideo ſufficere poterit probabilis ſpes & præſumptio voluntatis paſtoris, qui approbaturus creditur, quod geſtum fuerit, & ita ſentit Nauar. cap. 21. num. 52.

*Nauar.*

*Quæſito reſpondetur.*

Sed inquires, an huic peccato ſit aliqua pœna vel cenſura annexa. Reſpondetur, nullam eſſe generatim latam pro omnibus ſacerdotibus, nam irregularitas, quæ contrahitur propter indebitam executionẽ Ordinis non incurritur propter hoc peccatũ, quia, vt in ſuperiorib. ẽt dixi, illa non eſt impoſita contra vſurpantes iuriſdictionem alienã, ſed contra exercentes ſolẽniter actũ Ordinis, ſine tali Ordine ſuſcepto: in hoc aũt caſu, de quo agimus, non interuenit defectus Ordinis, ſed iuriſdictionis. Iuxta dicta vero ſection. præced. qui hoc ſacramentum miniſtraret, ſolẽniter ſine debito Ordine, illam pœnam incurreret, non minus quam qui ſolemniter baptizaret: quia etiam diſpenſatio huius ſacramenti vere eſt actus Ordinis & illa irregularitas generaliter lata eſt. At vero circa caſum, de quo nunc agimus, lata eſt excommunicationis cẽſura in Clem. Religioſi. de priuilegio ſpecialiter contra religioſos, qui ſine facultate Paſtorũ Euchariſtiam adminiſtrant, & ipſo iure incurritur, & Papæ reſeruatur, quam legem explicant Syluest. verbo, Excommunicat. 7. Excom. 14. Caiet. verb. Excõmunicatio. cap. 64. Nauarr. cap. 27. num. 102. breuiter tamen hæc videntur obſeruanda. Primum eſt, hanc legem, vt dixi, quæ ſpecialiter dirigitur ad religioſos, vt ex verbis eius conſtat, non eſſe extendendam ad cæteros Sacerdotes, etiam ſi quædam ſimilitu-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

militudo, vel rationis æqualitas, intercedere videatur, quia neq; hoc ſufficit in huiuſmodi legibus, præſertim pœnalibus, quæ reſtringendæ ſunt, neq; fortaſſe eſt verum, quia in religioſis potuit eſſe ſpecialis cauſa, quia cum non poſsint tam facile ab Epiſcopis coerceri, liberius poſſunt prædictam iuriſdictionem vſurpare, vt ibi Gloſſa notat. Secundo, vt hæc cenſura incurratur, neceſſe eſt, vt tranſgreſsio ex præſumptione fiat: nam, qui ex ignorantia id facit, putãs ſibi licere, vel ex ratihabitione probabiliter præſumpta, non incurrit hanc cenſuram, vt Caiet. notat, nã hanc vim habet verbum illud in hac lege poſitũ, (Religioſis, qui, &c. pręſumpſerint.) Tertio nõ tantum incurritur hæc excõmunicatio ſi Euchariſtia detur in neceſsitate per modum viatici (vt aliqui eam limitant) ſed in vniuerſum, ſiue in neceſsitate, ſiue extra illam, ſiue publice, ſiue occulte miniſtretur, quia verba legis ſunt generalia, neque eſt vlla ratio ad limitanda illa præſertim cum eadem cẽſura ibi apponatur propter alios actus minus graues, minuſque neceſſarios, quam ſit communio quomodocunque data. Quarto hæc cenſura comprehendit religioſos, qui miniſtrant Euchariſtiã ſecularibus clericis aut laicis, non vero eos, qui eam adminiſtrant alijs religioſis ſine Prælatorum facultate, etiam ſi in eo fortaſſe peccent: patet ex verbis legis, Religioſi qui clericis aut laicis ſacramentũ Euchariſtiæ adminiſtrare pręſumpſerint, &c. in quibus verbis omnes interpretantur, condiſtingui clericos & laicos, à religioſis. Et ex fine legis non licet colligere, quia illa lex lata eſt in fauorem Parochorũ, ſub quibus non comprehẽduntur ſuperiores religioſorum. Vnde cum ibi requiritur licentia Presbyteri Parochiani, eo nomine non comprehenditur ſuperior religionis, nunquam enim ſic appellari cõſueuit: ergo neque etiam cõprehenditur adminiſtratio, quæ religioſis ſit, qui nõ indigent licẽtia Parochiani Preſbyteri. Quinto, cum ibi exigitur licentia Parochialis Presbyteri, à fortiori ſubintelligitur, vel comprehenditur omnis, qui ſuperiorem iuriſdictionem habeat in ſacramentorum adminiſtratione, vt ſunt Papa, Epiſcopus, vel Vicarius eius, vt latius dicetur in materia de Confeſsione; quia hi comparantur cauſæ vniuerſali, quæ per ſe poteſt, quicquid poteſt particularis: vnde ibidem excipiuntur religioſi habentes priuilegia à ſede Apoſtolica: nam illi eis legitime vtendo non male faciunt, neque contra illum Canonem: vnde nec cenſuram incurrunt. Tandem, quod ibi Paræcialis Presbyter appellatur, modus loquendi tãtum eſt: nam licet contingat, non eſſe Presbyterum, poteſt hanc concedere facultatem, quæ non à poteſtate Ordinis, ſed à poteſtate iuriſdictionis per ſe ac directe manat.

2. Concluſ. Secundo dicendum eſt, hanc poteſtatem diſpenſandi hoc ſacramentum quoad iuriſdictionem eſſe duplicem, ordinariam, & delegatam, & priori modo conuenire Epiſcopis, Parochis, alijsq;, quibus ex officio animarum cura incumbit: poſteriori autẽ modo conuenire his, quibus ordinarij Paſtores per facultatem, vel priuilegium illam concedunt: vnde his omnibus, & illis ſolis licita eſt hæc diſpenſatio. Tota hæc concluſio certa eſt, & quoad vltimam partem ſequitur ex præcedente; de illo autem duplici modo iuriſdictionum dicendũ latius eſt in materia de Confeſsione: nam quia in illo ſacramento iuriſdictio magis eſt neceſſaria, & quodammodo ſubſtantialis, ideo illo loco magis ex profeſſo de illa diſſeritur. Nunc declaratur breuiter, nam hic actus diſpenſandi hoc ſacramentum maxime neceſſarius eſt ad oues Chriſti paſcendas: ergo poteſtas exercendi illum actum, neceſſaria eſt Paſtori earum: ergo ex proprio munere, & officio illi conuenit: hoc autem ipſum eſt habere hanc poteſtatem ordinariam, ſiue iure ordinario, & hoc modo habet illam Summus Pontifex ſupra totam Eccleſiam, Epiſcopus in ſuo Epiſcopatu, Parochus in ſua Parochia, & eadem proportione Generalis, Prouincialis, & Rector ſeu Superior in ſua religione; habentes autem ordinariam poteſtatem, poſſunt illam committere ſeu delegare, ſicut in omni iuriſdictione conſtat, & in præſenti Parochus poteſt hanc facultatem dare, vt conſtat ex cap. Omnis vtriuſque ſexus, vt ex Clement. I. de priuilegijs: vnde à fortiori poteſt ſuperior poteſtas Epiſcopi, vel Pontificis, quia iuriſdictio ſuperioris vniuerſalior eſt, magiſque independens. Hoc autem in præſenti dupliciter fieri poteſt, vno modo ex parte miniſtrantium, dando eis facultatem ad miniſtrandum hoc ſacramentum, vel ex parte recipientium, dando eis facultatem ad eligendum Sacerdotem, qui eis hoc ſacramentum miniſtret. Et hoc poſteriori modo conceditur fidelibus hæc facultas per bullam Cruciatæ (vt quidam putant) poſteriori autem modo conceditur mendicantibus religioſis, & alijs per ſua priuilegia, & aliquibus eorum non ſolum datur, vt per ſe poſsint miniſtrare, ſed etiam, vt in eorum domibus, ſeu Eccleſijs id poſsint facere alij ſimplices Sacerdotes, ex facultate ſuperioris talis domus ſeu religionis, itemque hoc conceditur ipſis religioſis in alijs Eccleſijs, quando in eis concionantur, vt conſtat ex priuilegijs mendicantium, Societatis, & aliarum religionum.

Difficultas. Duo vero circa hæc priuilegia dubitari ſolent in praxi: Primum eſt, an ad huiuſmodi miniſterium eligi poſsit ſimplex Sacerdos nõ expoſitus, ſeu approbatus ab ordinario, vel neceſſe ſit, eſſe expoſitum ab Epiſcopo ad miniſtranda ſacramenta, iuxta nouum ius Con. Trid. ſeſſ. 23. c. 15. de reformat. & idem quæri poteſt de Parocho, an poſsit in ſua Paræcia delegare hanc facultatem cuilibet ſimplici Sacerdoti. Quidam enim non indocti ita conſulunt, vel etiam neceſſarium exiſtimant, fortaſſe quia ſub confeſsione ſolet etiam communio comprehendi, quando expreſſe non excipitur, vt ſupra dicebamus, quandocunq; in iure datur facultas abſoluendi in artic. mortis, dare etiam facultatem dandi Euchariſtiam. Et in bulla Cruciatæ non conceditur expreſſe facultas eligendi, qui Euchariſtiam miniſtret, & tamen in facultate eligendi confeſſorem, intelligitur conceſſa: ergo è contrario, ſicut requiritur ex decreto Concilij Triden. vt ſit ab Epiſcopo approbatus Sacerdos, cui deleganda eſt facultas audiendi confeſsionem, ita etiam cui deleganda eſt facultas miniſtrandi Euchariſtiam. Nihilominus tamen non exiſtimo hanc ſentẽtiam proprie & in rigore ſumptam veram eſſe ex vi decreti Concilij Trident. quod limitandum cenſeo ad ſolum ſacramentum confeſsionis, vt verba eius formaliter continent. Primo quidem, quia cum illa lex ſit quodammodo odioſa, quatenus reſtringit, & limitat iuriſdictionem, non eſt extẽdenda vltra verborum proprietatem, & formalem deciſionem, neque in eis rebus argumẽtum à ſimili eſt alicuius momenti. Secundo, quia ſpectando intentionem illius legis, eſt valde diuerſa ratio de confeſsione & de Euchariſtia: nam ibi multo maior ſcientia & prudentia: & aliæ qualitates requiruntur in miniſterio, quam in hoc ſacramento, vt per ſe conſtat, quia ille eſt iudex, & medicus ſpiritualis, hic autem nihil aliud præſtat, quam conſecratum ſacramentum ad vſum applicare, & ei diſtribuere, quem ſupponit à proprio Paſtore iam eſſe approbatum, cum ab illo habeat dandi facultatem. Neque ratio in contrarium facta vrget. Nã etiam ſi totum quod aſſumitur, concedatur, non recte colligitur, quia, cum adminiſtratio ſacramenti confeſsionis difficilior ſit, quam communionis, conceſſo difficiliori poteſt intelligi conceſſum quod facilius eſt: negato vero actu difficiliori, non inde infertur, faciliorem etiam eſſe negatum, vt per ſe ſeparatum ab alio, maxime, cum illud prius ad priuilegiũ pertineat, & ideo ampliandum ſit, aliud vero minime, & ideo ſit potius reſtringendum.

Reſponſio. Addo tamen, circa illud, quod in ea ratione aſſumitur,

mitur, non immerito dubitari poſſe, an conceſſa alicui facultate adminiſtrādi ſacramentum confeſsionis, cenſeatur etiam conceſſa adminiſtrandi Euchariſtiam, & è conuerſo, an habita facultate ad eligendum cōfeſſorem, intelligatur etiam habita ad eligēdum miniſtrum Euchariſtiæ, ſeu ad ſuſcipiendū hoc ſacramentum, à quocunq; Sacerdote voluerit. Quidam enim ita ſentiunt, & quia (vt Caiet. ait in Sum. verbo, Excommunicatio, c.63.) non ſemper neceſſe eſt, vt in huiuſmodi licentijs hoc ſacramentum in ſpecie nominetur, ſed ſatis eſt, vt ex verbis licentiæ communiter intelligi valeat, concedētem licentiam dare etiam hanc facultatem, ſed ex prædictis verbis communiter omnes hoc intelligunt propter rationes adductas. Nihilominus hæc ſententia mihi non videtur vera, neque ſecura. Primo, quia hi actus ſunt diuerſi & ſeparabiles, & ſimiliter poteſtas ad vtrumque requiſita, vt per ſe euidens eſt. Ergo conceſſa vna facultate non neceſſario conceditur altera, neq; è contrario, ex vi & proprietate verborum: ergo ſine alio maiori fundamento non eſt extēdenda talis facultas, nec recte Caietani doctrina applicatur, quia ille ſolum intendit docere, non eſſe neceſſarium, vt in huiuſmodi facultatibus hæc ſacramenta in ſpecie nominentur, ſed ſatis eſſe, quod generalibus verbis aut indefinitis, aut alia quacunque ratione, voluntas concedentis exprimatur: hic autem cōtendimus ſolam expreſsionem ſacramenti Pœnitentiæ non ſatis eſſe, vt intelligatur conceſſa facultas ad ſacramētum Euchariſtiæ, de quo Caietanus nihil dicit. Secundo in bulla Cruciatæ conceditur facultas omnibus fidelibus eligendi confeſſorem approbatum ab Ordinario, quotieſcunque voluerit, & tamen ibi nō intelligitur poſſe eligere Sacerdotē, à quo recipiant ſacramentum Euchariſtiæ, alioqui, ſicut ex vi illius clauſulæ generalis poſſunt ſatisfacere præcepto annuæ confeſsionis, cuicunque approbato Sacerdoti ſimplici confiteantur, ita etiam poſſent implere præceptum annuę communionis ab eodem ſuſcipiendo Euchariſtiæ ſacramentum: quod eſt plane falſum, & contra conſuetudinem Eccleſiæ, & contra verba cōtenta in alia priori clauſula eiuſdem bullæ. Vnde hic habemus euidens exemplum, vbi ſub facultate ad ſacramentum annuæ confeſsionis non intelligitur expreſſa facultas ad ſacramentum annuæ communionis: ergo idem intelligendum eſt de facultate ad cōfeſsionem abſolute, quod non neceſſario comprehendatur ſub illa facultas ad communionem.

Quocirca (vt hoc obiter notetur) ex vi illius clauſulæ bullæ Cruciatæ, in qua conceditur facultas ad eligendum confeſſorem, non intelligo, eſſe conceſſam facultatem ad recipiendam Euchariſtiam à tali confeſſore, vel ab alio ſimplici Sacerdote electo ad hoc munus per ipſummet pœnitentem: quia nullum eſt verbum in ea clauſula, ex quo hoc colligi poſsit. Neque hoc mirum eſſe debet, quia etiam non datur facultas ad recipiendum ſacramētum Extremæ vnctionis, vel Matrimonij. Et ratio eſſe potuit, vel quia ſacramentum confeſsionis eſt maioris neceſsitatis, vel quia in eo eſt ſpecialis difficultas, ratione cuius, & conueniens ſæpiſsimè, ſemperque grata eſt hominibus hæc libera facultas eligendi confeſſorem, qui, vel pœnitentem de facie non agnoſcat, vel qui facilius conſcientiam eius intelligat, vel deniq; qui propter alias cauſas gratior ſit pœnitenti, aut certe id fieri potuit, quia ſacramentum Pœnitentiæ magis priuate & occulte miniſtratur, quam cætera, & ideo magis expedit, vt quamuis, quoad ſacramentum cōfeſsionis quodammodo eximatur fidelis à ſubordinatione, quam ſuo ordinario Paſtori debet; in vſu tamen aliorum ſacramentorum illam obſeruet. Et hæ rationes confirmant etiam, quod intendimus, ſcilicet non eſſe neceſſarium, vt in his facultatibus ſub confeſsione comprehendatur communio: quando vel in iure expreſſum non eſt, vt in articulo mortis, vel ex alijs verbis facultatis id non ſatis colligitur. Exemplum etiam illud de Extrema vnctione, hoc non parum confirmat, quia data facultate adminiſtrandi ſacramentum confeſsionis, non intelligitur data ad Extremam vnctionem: ergo neque ad communionem. Dices, ergo ſimpliciter in tota bulla Cruciatæ non datur hæc facultas. Reſpondetur, etiam ſi hoc concedatur, nullum eſſe inconueniens, propter differentias aſsignatas. Deinde poſſet apparentius colligi hæc facultas ex alia clauſula eiuſdem bullæ, in qua conceditur fidelibus, vt poſsint tempore interdicti Euchariſtiam recipere in priuatis Eccleſijs, Monaſterijs, & religionibus: præterquam in die Paſchatis: Nam ſi pro tempore interdicti datur hæc facultas multo magis videtur data, pro alijs temporibus. Sed neq; hac ex clauſula recte colligitur huiuſmodi priuilegium, alioqui ex vi illius etiā liceret ſacramēta Extremæ vnctionis & Matrimonij à quocunque Sacerdote recipere, quia in ea clauſula non tātum de Euchariſtia ſermo eſt, ſed etiam de alijs ſacramentis: hoc aūt plane falſum eſt, vt per ſe conſtat: in illa ergo clauſula nullum ſpeciale priuilegiū conceditur circa perſonam miniſtri, quæ datura eſt ſacramentum, ſed per ſe & directe circa tempus, quod alias interdictū erat, concomitanter vero circa locum, ſcilicet, quod in quacunque Eccleſia vel oratorio approbato id fieri poſsit, ex vi tamē illius conceſsionis non tollitur, quin tale ſacramentum ſuſcipiendum ſit ab eo, qui alioqui habeat poteſtatem illud adminiſtrandi, ſicut ibidem conceditur eo tempore poſſe audiri Miſſam in oratorio priuato, per quod non excluditur, quin Miſſa dicenda ſit à Sacerdote habente à ſuo Epiſcopo facultatem rem ſacram faciendi. Itaq; in tota Cruciatæ bulla nullam ego clauſulam inuenio, in qua hæc licentia conceſſa ſit.

*Dubium.*

Secundum dubium eſt, circa hæc priuilegia regularium: an ex vi illorū poſsint in die Paſchatis in ſuis Eccleſijs Euchariſtiam miniſtrare, & è contrario, an poſsint fideles ibi illā recipere. Et ratio dubitandi eſt, quia in huiuſmodi priuilegijs excipi ſolet dies Paſchatis, ſeu dies Reſurrectionis, in quo ſpecialiter exigitur Parochi aut Diœceſani licentia, vt conſtat ex ſupplemento Minorum, conceſſ. 160. & ex compendio, Minorum, verbo, Cōmunicare, conceſſ. 149. & 150. vbi Nicolaus V. Sixtus IV. & Leo X. hanc exceptionem adhibuerunt. Vnde difficultas non eſt, quin hæc exceptio ſit certa & indubitata, de ſenſu autem illius non immerito dubitari poteſt. Multi enim intelligunt hoc de primo die Reſurrectionis, ita vt in eo non poſsit communio fieri extra propriam Parochiam, ſine licentia Parochi, ſiue fiat ex deuotione, ſiue ad implendum præceptum. Ita tenet Nauarr. cap. 21. nume. 32. quem multi recentiores ſecuti ſunt, qui ſolum fundari poſſunt in rigore & proprietate illius verbi, præterquā in die Paſchatis, ſeu, in die Reſurrectionis. Quod ſi obijcias, ſequi eum, qui feria quinta in Cœna Domini in Parochia communicauit ad implendum præceptum, ſi velit in die Paſchatis communicare, debere neceſſario in Parochia iterum communicare, & non alibi, niſi ex Parochi facultate: concedunt ſequelam, quia ille dies eſt ſimpliciter exceptus, fortaſſe, quia voluerunt Pontifices eum diem reſeruare, vt in eo omnes fideles ad ſuas Parochias conuenirent, & obedientiam Paſtoribus debitam profiterentur.

*Nicolaus V. Sixtus IV. Leo X.*

*Nauar.*

Quod ſi rurſus obijcias, quia è contrario ſequitur extra primum diem Paſchatis poſſe fideles communicare in Eccleſijs mendicantium, etiam ad implendum præceptum: ſeu licet non habeant animum iterum communicandi in Parochia in die Paſchatis, quod plane videtur abſurdum & contra intentionem Pontificum facientium illam exceptionem, quæ facta eſt in fauorem Parochorum: hoc autem modo intellecta omnino derogaret eorum iuriſdictioni & obedientiæ: quia nullus fidelis cogeretur

vnquam ex vi præcepti in Parochia communicare; ſed ſolum illi, qui præceptum communionis annuæ in primo die Paſchatis implere vellent: vnde hoc etiam eſt contra conſuetudinem Eccleſiæ, quæ leges & priuilegia optime interpretatur. Ad hanc obiectionem nihil Nauarrus reſpondet, nec alij, qui (vt opinor) ſequelam non auderent concedere: nam potius, aiunt, eum, qui communicat feria quinta in Cœna Domini in Eccleſijs horum religioſorum, teneri nihilominus ad communicandum in Parochia alio die infra octauas Paſchæ. Quod licet in ſe verum ſit, non videtur tamen conſequenter dictum, quia tunc fidelis recipit Euchariſtiam tempore præcepto & de manu eius, qui habet à ſuperiori facultatem miniſtrandi: cur ergo non implet præceptum? Dices; quia non recipit in Parochia. Sed cõtra, quia nullum eſt præceptum ſpecialiter obligans ad recipiendum in Parochia: nam in capitulo, Omnis vtriuſq; ſexus, in quo præceptum hoc fundatur, nihil de hoc dicitur, ſed ſolum, quod accipiat Euchariſtiã in Paſcha à proprio Sacerdote: in prædicto autem caſu iam iſte recipit in Paſcha: nam hoc verbum per quindecim dies iam ampliatur, vt ſupra diximus, & recipit à proprio Sacerdote, quia recipit ab eo, qui dandi facultatem habet à Summo Pontifice, ſicut confitetur proprio Sacerdoti, eidem ex eadem facultate confitendo: ergo nulla eſt ratio, cur per talem communionem non impleat hoc præceptum. Accedit, quod iuxta hanc expoſitionem, nimis & vltra rationem & intentionem Pontificis limitantur hæc priuilegia Religioſorum. Primum patet, quia iuxta prædictam interpretationem duplex fit exceptio vnico tenore, vel forma verborum. Vna eſt de tempore, ſeu de communione tali die facta, ſcilicet, primo die Reſurrectionis, alia eſt de communione, qua Eccleſiaſticum præceptum impletur, quæ diſtincta eſt à præcedenti: nam prior abſtrahit à communione præcepta, & non præcepta: hæc vero abſtrahit à communione facta in illo primo die, vel alio ex quindecim ſupra dictis: hoc autem præter omnem rationem eſſe videtur, quia illa verba vnicum ſimplicem ſenſum, & vniuocam ſignificationem habere debent: illi autem ſenſus diuerſi ſunt, & in multiplici verborum ſignificatione fundati. Secundum autem patet, quia Pontifices in illa exceptione ſolum intendunt, vt fideles ſemel in anno ſuos Paſtores recognoſcant, ab eis Euchariſtiam ſuſcipiendo, ex eorumve licentia & facultate, ad hoc autem ſatis eſt, vt communionem, qua præceptum implent, ab eis neceſſario ſint ſuſcepturi, vel ex eorum facultate: ergo ſine cauſa exciperent vltra hoc omnem communionem primo die Paſchatis factã, tum, quia ipſi intendunt per hoc conferre illi diei aliquam ſpecialem celebritatem, aut ſolemnitatem, ſed ſolum intẽdunt fauorem Parochorum: tum etiam, quia ſi fidelis iam impleuit pręceptũ in ſua Parochia, & in die Paſchæ, poteſt non communicare in ſua Parochia, etiam ſi alibi non communicet, cur, ſi communicare vult, cogetur in Parochia communicare magis illo die, quam in alijs? aut quæ ratio potuiſſet Pontifices ad hoc mouere?

*Dubij enodatio.* Cenſeo igitur, veriorem interpretationem eſſe; mentem Pontificum fuiſſe excipere communionem Paſchalem non materialiter (vt ſic dicam) id eſt, quæ fit in ipſo primo die Paſchatis, ſed formaliter, ſeu prout præcepta eſt lege, quæ præcipit; ſemel communicare in paſchate: nam, quia cap. Omnis vtriuſq; ſexus in initio ſolum præcipit ſemel communicare in Paſchate, quamuis poſtea declaratum ſit, illud, Paſcha, comprehendere octo, vel quindecim dies, omnis communio, qua impletur illud præceptum, dicitur Paſchalis, ſeu in Paſchate facta: exceptio autem quæ fit in dictis priuilegijs ſine dubio reſpicit hoc præceptum, vt in ſua vi maneat, & eodem modo impleatur, quo in eo ſtatutum eſt: & ideo eodem ſenſu loquitur de communione in Paſchate, quo præceptum ipſum iuxta expoſitionem Pontificum, & Eccleſiæ vſum: excipitur ergo ibi (vt exiſtimo) ſola cõmunio, qua impletur hoc præceptum in Paſchate; ſiue fiat primo die, ſiue quolibet alio ſufficiente, & è contrario, ſi præceptum iam impletum eſt in Parœcia ante illum primum diem, vel poſtea implendum eſt, non cenſeo eſſe per ſe exceptum primum diem Paſchatis, quo minus in eo poſsint religioſi vti ſuis priuilegijs, & miniſtrare hoc ſacramentum. Neq; cõtra hoc obſtat, quod in dictis priuilegijs dicitur: Præterquam in feſto Paſchæ Reſurrectionis Dominicæ; ſeu, præterquam in die Reſurrectionis Domini: quia non eſt attendendus materialis ſonus verborum, ſed ſenſus & intentio Pontificis, qui, vt dixi, communionem, qua impletur præceptum, vocat communionẽ in die Paſchæ, ſeu, quod idem eſt, in die Reſurrectionis, propter rationem ſupra dictam. Neque hæc interpretatio eſt violenta, ſed ſatis obuia, & clara, ac literalis, ſuppoſito modo loquendi, capit. Omnis vtriuſque ſexus, & intelligentia totius Eccleſiæ. Et iuxta eandem interpretationem, intelligendam cenſeo ſimilem exceptionem, quæ habetur in bulla Cruciatæ in clauſula, qua conceditur facultas accipiendi Euchariſtiã tempore interdicti, in alijs Eccleſijs, vel priuatis oratorijs, vbi etiam additur, Præterquam in die Paſchatis, id eſt, præterquam in ea cõmunione, qua implent pręceptum communicandi in die Paſchatis. Quia, niſi ſic exponamus, ſequitur illud abſurdum, quod poſſent implere hoc præceptũ in priuato oratorio, & poſtea in die primo Paſchæ, neq; ibi, neq; in Parochia communicare.

Vltimo vero eſt in hoc dubio aduertendum, hæc priuilegia intelligenda eſſe de ordinarijs communionibus, quæ extra mortis periculum fiunt, in quibus non accipitur Euchariſtia per modum viatici: nam, quando hoc modo datur in mortis periculo, illius adminiſtratio etiam eſt proprio Parocho reſeruata, & ita expreſſe excipitur à Paulo III. in priuilegijs Societati conceſsis in bulla anni 1549. Quod ſi in aliquo alio priuilegio non excipitur expreſſe, ipſo iure & communi ſenſu intelligitur excepta, vel, quod non ſit de illa ſermo, ſed de illis ſolis, in quibus Euchariſtia non accipitur per modum viatici, vt dixi, & hæc eſt communis omnium ſententia. Vnde licet ex dictis colligere voluiſſe Eccleſiam, omnem communionem, qua impletur præceptum, ſiue diuinum, ſiue Eccleſiaſticum proprijs Paſtoribus reſeruare, neque de ea aliquod priuilegium concedere, ſed ſolum de alijs, quæ voluntarie fiunt. Quod ſi inquiras, cur hoc potius fecerit Eccleſia in præcepto communionis, quam confeſsionis? hoc enim, ſiue ſit diuinum in mortis articulo, ſiue Eccleſiaſticũ annuæ confeſsionis, ſatis impletur per confeſsionem factam religioſis per huiuſmodi priuilegia, vel per bullam Cruciatæ: nam in hoc nulla fit exceptio. Reſpondetur, rationem ſumendam eſſe ex differentijs ſupra poſitis inter ſacramentũ confeſsionis & cõmunionis, quod illud magis neceſſarium eſt, & quandam habet difficultatem ex parte miniſtri, propter quam oportuit priuilegia maiora & generaliora circa illud concedere, quod notauit etiã Palacius in 4. diſt. 28. diſp. 6. cõcl. 2. *Concluſio.*

Sed quæres, an deficiente Parocho, & neceſsitate vrgente, poſsint fideles in his caſibus accipere Euchariſtiam à religioſis vel alijs Sacerdotibus. Aliqui enim hoc negant, etiam ſi neceſsitas ſit extrema, & articulus mortis. Ita ſentit Nauarr. cap. 21. numer. 25. citans Cardinalem in Clem. 1. de priuilegijs, quæſt. 1. & Syluest. verb. Excommunicatio. 7. Excom. 14. §. 3. Et fundari poſſunt, quia Euchariſtia non eſt ſacramentum ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem. Sed, quod attinet ad articulum mortis, ſi Parochus non adſit, & neceſsitas vrgeat, nõ dubito, quin poſsit ſimplex Sacerdos licite viaticum dare, ſiue ſit religioſus, ſiue non, quia hæc nec fundatur in priuilegijs religioſorum (quamquam Paulus III. in citata bulla *Quæſtio.* *Nauarr.* *Cardinalis* *Syluest.*

Socie-

Societatis, excipiendo feſtũ reſurrectionis, & mortis articulum, addit (niſi neceſsitas vrgeret) neque eis magis, quam aliis denegatur: fundatur ergo vel iure communi, quo ſupra diximus, explicatum eſſe, vt cui conceditur confeſsio in articulo mortis, cenſeatur etiam conceſſa communio ex cap. Quod in te. de Pœnit. & remiſſ. vel in præſumpta rationabili voluntate Parochi, vel certe Epiſcopi, aut Summi Pontificis, ſi fortaſſe de alterius priuata volũtate iniqua cõſtet. Ac denique eſt hoc valde conſentaneum iuri ipſi naturali, q̊ tenemur, & tenetur Eccleſia proximis ſubuenire, præſertim in ſpiritualibus neceſsitatibus: neceſsitas autem huius ſacramenti, quamuis non ſit extrema, eſt tamen valde grauis. Et hanc ſententiam tenet Angel. citans Director. Hoſt. & Archid. verb. Excommu. c. 5. caſu 12. num. 5. In neceſsitate autem implendi Eccleſiaſticum præceptum, non videtur vrgere ratio tantæ neceſsitatis, tamẽ ex alio capite interdum poteſt fieri: quia vel fidelis non poteſt tempore debito in Propria Parochia communicare: quia extra illam peregrinatur, & tunc iure peregrinationis poteſt ibi ſacramentum accipere, vbi commode poteſt, dummodo accipiat ab his, qui in eo loco habent poteſtatem adminiſtrandi, iuxta ea, quæ inferius latius dicemus in materia de confeſsione. Si autem ex alio impedimento excuſatur, debet, quamuis tunc communionem omittat, poſtea, cum primum poſsit in Paræcia communicare, & ſatisfacere præcepto Eccleſiæ, & ideo quamuis tunc de manu alterius communicet, illa communio nõ erit impletiua præcepti, ac proinde, licet fiat virtute dictorum priuilegiorum non erit contra exceptionem in eis factam, iuxta datam à nobis expoſitionem. Semper tamen intercedit hæc notanda differentia inter articulum mortis, & alias neceſsitates, vel potius vtilitates, quod illo licitum eſt cuilibet Sacerdoti, miniſtrare hoc ſacramentum, etiam ſi non habet ad hoc ſpecialem facultatem à Paſtore conceſſam, vt dictum eſt: in alijs vero hoc non licet, niſi ſuppoſita aliqua facultate, vel priuilegio miniſtrandi hoc ſacramentum, quia rationes factæ non aliter procedunt.

*Angelus. Direct. Hoſtien. Archidiac.*

## SECTIO III.

### *Cui debeat hoc ſacramentum adminiſtrari.*

*Titulus explicatur.*

MVlta poſſunt hoc articulo comprehendi. Primũ eſt, obligatio miniſtri ad hoc ſacramentum diſpenſandum: hactenus enim ſolum diximus, quibus liceat hæc adminiſtratio: ſtatim vero quæſtio oritur, quinam ad illam teneantur, & quoniam hæc obligatio non eſt reſpectu omnium, ſed habet proprium aliquem terminum: ideo ſimul explicandum eſt reſpectu quorum ſit talis obligatio. Hæc autem res breuiſsime explicanda eſt ex principijs poſitis de ſacramentis in genere, quia nihil habet hic propriẹ ac ſpecialis difficultatis. Duplex enim eſſe poteſt obligatio hæc per ſe loquendo. Vna eſt, ex officio, quæ ad iuſtitiam pertinet, & propria eſt Paſtorum Eccleſiæ, vt ſunt Parochi, & reliqui ſuperiores animarũ, quib. ex officio incumbit eas regere in ordine ad ſpiritualem ſalutem, & finem, & conſequenter hæc obligatio tãtum eſt reſpectu ſubditorũ, vt per ſe conſtat. Altera eſt, ex charitate, quæ poteſt eſſe communis omnibus quib. hoc ſacramẽtum miniſtrare licet, reſpectu cuiuſcunq; in ſpirituali neceſsitate exiſtentis, quia charitas omnia cõplectitur. Omitto obligationẽ omnino per accidẽs, & extrinſecã, qualis poteſt eſſe ex voto, quia nihil ad rẽ præſentẽ pertinet, nec de obligatione charitatis aliquid hic addendũ eſt, ſed ſeruanda ſunt & applicanda generalia principia, & p̃cepta charitatis ac miſericordiæ, vt etiam diximus citato loco de ſacramẽtis in genere. De obligatione autẽ iuſtitiæ quæri poteſt, quãdo, vel quoties obliget Parochos ad dandum hoc ſacramẽtum ſuis Parochianis: quidam enim Theologi ſentiunt, ſolum obligare, quando ipſos Parochianos præceptum communicandi obligat. Ita Rich. in 4. d. 18. art. 2. q. 3. Syluester verb. Confeſſor, 2. q. 18. itaque iuxta hoc ſolum tenebuntur ſemel in anno miniſtrare, quod ſane per ſe ſtatim apparet improbabile, & abſurdum: Dicendum ergo eſt teneri proprium paſtorem ad miniſtrandum hoc ſacramentũ, quoties oues rationabiliter & opportune petunt, itaq; ſi non nimis frequenter petant, neq; vltra id, quod earum ſtatũ & reuerentiam ſacramenti decet, tenebitur Parochus, per ſe loquẽdo, ſacramẽtum concedere, vt recte docuit Adrian. in 4. qu. 5. de conf. dub. 8. Soto d. 12. a. 6. Nauar. in c. Placuit de Pœn. d. 6. n. 152. Et ratio eſt, q̃a Parochi nõ aluntur à fidelib. ſolum, vt ſibi miniſtrent neceſſaria ad implenda p̃cepta, ſed etiam ea, quæ ſunt valde vtilia & opportuna ſaluti animarum, imo hoc maxime pertinet ad mun⁹ paſtorum: alioqui non ſatis eſſet ſaluti ouium prouiſum: & ideo non ſolum in diebus feſtis, ſed etiam in alijs tenentur Parochi ordinarie facere ſacrum in ſua Parochia, & ſimiliter tenentur confeſsiones audire, quando ſubditi indigent, quamuis non vrgeat præceptum Eccleſiæ: ſic ergo dicendum eſt de hoc ſacramento, quod eſt valde vtile, & ad hoc inſtitutum, vt frequenter accipiatur. Dixi autem (per ſe) quia ex accidente poterit excuſari Parochus, vel propter rationabilẽ occurrentẽ cauſam, vel certe, quia habet alios coadiutores, ad quos poſſunt oues ſine vllo diſpẽdio vel difficultate accedere, & ideo poteſt eas ad illos remittere & excuſare, etiam ſi illi voluntarie & ex priuilegio ſacramenta miniſtrẽt, vt religioſi: regulariter tamẽ cauere tenentur Parochi, ne ſe oſtẽdant difficiles in hoc miniſterio, ne animos ſuorum ſubditorum remittant, ſed ad piam potius frequentiam alliciant.

*Richard. Soto. Nauarr.*

Secundum in titulo contentum eſt, qualis debeat obſeruari petentis diſpoſitio, & conditio, vt ei poſsit & debeat hoc ſacramentum miniſtrari: ſed omnia q̃ in hoc pũcto dici poſsũt, in ſuperiorib. tractata ſunt: nam primum omniũ obſeruanda eſt ætas, de qua dictum eſt, diſp. 70. ſect. 1. Deinde obſeruandum eſt, an bene diſpoſitus accedat, de qua re longiſsime diſputatum eſt ſupra, diſput. 67. Et huc ſpectat, vt recipiẽs accedat ieiunus, &, vt ſeruet omnia, quæ neceſſaria ſunt, vt digne petat hoc ſacramentũ. Vltimo obſeruari poteſt ſtatus petẽtis, an, ſcilicet vxoratus, vel cõtinens, & ſimilia, quãuis hoc raro neceſsitatis ſit, ſed conſilij, ad prudenter iudicandum, quæ frequentia illi expediat: quæ tamen cura magis ad confeſſorem pertinet, quam ad diſpenſantem hoc ſacramentum, & de ea re ſatis dictum eſt ſupra tractando de frequentia.

Tertio principaliter propoſita eſt quæſtio, ad inquirendum, an oporteat, eum, cui datur hoc ſacramentum, eſſe perſonam diſtinctam à miniſtrante, atque adeo, an liceat alicui communicare ſe ipſum, & eſt quæſtio de communione, quæ fit extra ſacrificium, nam de ipſo Sacerdote ſacrificante certa fides eſt, poſſe communicare ſeipſum, vt definit Trident. ſeſſ. 13. cano. 10. contra quoſdam huius temporis hæreticos, qui contrarium docere cœperunt ſine vllo fundamento, nam, & Chriſtus ſeipſum communicauit, & infra oſtendemus, Sacerdotem ſacrificantem teneri ad participandum quod obtulit, vnde cum in illo munere ipſe ſit ſupremus miniſter poſt Chriſtum, non eſt alius à quo accipiat, niſi à ſe ipſo, & ideo ſeipſum facit participem ſacrificij, ſicut etiam orando, & offerẽdo pro alijs, orat & offert pro ſeipſo. Difficultas ergo eſt de communione laica, ſiue perſona, quæ recipit ſacramentum, ſit Sacerdos, ſiue nõ. Et ratio dubitandi eſt, quia in hoc ſemper eſt longe diuerſa ratio, quam in ſacrificante, quia ſacrificans, vt dixi, eſt in eo munere ſupremus miniſter, & ideo ſeipſum facit participem ſacrificij: alij vero omnes, qui non ſacrificant, ſunt inferiores, & tantum per Sacerdotem offerunt: ita, vt licet contingat, aliquos



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

eſſe ex ſe Sacerdotes, illud ſit per accidens & materialiter, quia tunc non ſe gerunt, vt Sacerdotes: ergo nullus poteſt hoc modo communicare, niſi per Sacerdotem, & de manu illius. Et confirmatur: nam in cæteris ſacramentis nullus poteſt ſibi ipſi miniſtrare ſacramentum, ſed oportet ſemper miniſtrantem, & cui miniſtratur, eſſe perſonas diſtinctas: ergo idem erit in præſente conſiderando tantum rationem ſacramenti. Propter quas forte rationes Summiſtæ aliqui ita ſentire videtur: Armilla enim, verb. Communio. n. 8. dicit, Sacerdotem non ſacrificantem non debere communicare ſeipſum regulariter. Caiet. vero in Sum. Verb. Communio, ſignificat, hoc non licere Sacerdoti, niſi in neceſsitatis articulo, in quo caſu affirmat licere: de alijs vero inquit, ſe nihil ſancitum legiſſe. Et reuera nullum in iure inuenitur præceptum ratione cuius neceſſarium ſit dantem & ſumentem hoc ſacrementum, eſſe perſonas diſtinctas: hoc enim ius, nec ſcriptum eſt, quod ego legerim, nec etiã poteſt ex ſola conſuetudine colligi: nam olim fideles communicabant ſeipſos, vel in Eccleſia accipientes proprijs manibus, quod & de Apoſtolis in nocte Cœnæ ſupra diximus, vel ad proprias domos deferendo, ibique ſe communicando. Vnde, neque ex vi ſoli⁹ inſtitutionis poteſt colligi hæc prohibitio, quia talis conſuetudo non erat inſtitutioni contraria, & ratio eſt clara, quia hoc ſacramentũ eſt inſtitutũ per modũ cibi, & vſus eius per modum manducationis, hæc autem actio accõmodate ſit ab ipſomet ſumente ergo ex vi talis inſtitutionis nil repugnat, quod aliquis ſibi ſumat hunc cibum: neque in hoc concluditur indecentia aliqua, aut iniuria ſacramenti, nec repugnat effectui eius, quia poteſt ſumi ſine obice, & cũ debita diſpoſitione, & tunc ſacramẽtum eſt, quod per ſe cauſat effectum, miniſtrans vero ſolum ſe habet, vt applicans, nihil autem repugnat, vt idem ſibi applicet cauſam, à qua foueatur ſeu nutriatur. Tandem differt multum inter hoc ſacramentum, & reliqua, vt notauit D. Thom. art. ſequent. ad 2. Nam alia conſiſtunt in vſu, & ex vi talis actionis ſeu formæ dicũt habitudinem ad perſonam diſtinctam: hoc vero ſacramentũ eſt permanens, & ab vna tantum perſona ſit non circa illam perſonam, ſed circa materiam ipſam, & ideo poteſt ſacramentum ſic factum applicari ad vſum, vel ab ipſo ſumente, vel ab alio. Quocirca nullum fundamentum inuenio ad aſſerendum per ſe, & ex intrinſeca ratione, ob ſolam identitatem dantis & ſumentis prohibitum eſſe, vt aliquis poſsit communicare ſeipſum, quia nullum etiam fundamentum eſt ad dicendum diſtinctionem perſonarum eſſe neceſſariam, nec ſatis eſt dicere, conſuetudinem induxiſſe hãc neceſsitatẽ: quia hæc conſuetudo magis eſt negatiua, quam poſitiua. Eſt n. aduertẽdum, hic nos loqui: ex vi identitatis & diſtinctionis perſonarum: nam ex vi iuris diſpenſandi clarum eſt neminẽ poſſe ſibi ſumere, qui non habet ius diſpenſandi, quia ſibi ſumere etiam eſt diſpenſare, & hinc oritur, vt nec laici, nec inferiores clerici poſsint ſeipſos cõmunicare, & idem eſt de Diacono, ſaltem ſine licentia Presbyteri, & de quolibet Sacerdote non habente ius, vel facultatem diſpenſandi: conſuetudo ergo prædicta magis in hoc fundata eſt, quam in neceſſaria diſtinctione perſonæ dantis & recipientis, preſertim, quia Diaconi iam nunquam adminiſtrant hoc ſacramentum: Sacerdotes vero regulariter communicant ſacrificando: extra ſacrificium vero, aut cũ ægrotant, aut in Miſſa alterius Sacerdotis, & in vtroque caſu neceſſe eſt moraliter loquendo, vt ab alio accipiant. Vnde recte dixit Durand. in 4. d. 13. qu. 4. ſi contingat Sacerdotem ægrotare, & non adeſſe, niſi Diaconum, qui ſacramentum deferat, debere Sacerdotem proprijs manibus ſe communicare: & in die Paraſceues Sacerdos communicat ſeipſum, quamuis non ſacrificet: nulla ergo eſt conſuetudo, ex qua talis prohibitio ſatis colligi poſsit, quia vero res non eſt vſitatã, non debet facile fieri, niſi vbi vnus tantũ eſſet ſacerdos, qui nõ poſſet ſacrificare: poſſet tñ ex præcõſecratis ſeipſum deuotionis cauſa cõmunicare: ſecluſo n. ſcandalo, vt exiſtimo, non peccaret. Rogabis, vtrũ poſsit idem facere laicus, ſaltem in extrema neceſsitate mortis, quando non habet Sacerdotem, quia extra illam certum eſt non poſſe: nonnulli autem idem docent de illo caſu, ſed nullo iure probant, quia ex inſtitutione præciſe non ſequitur: vt dictum eſt, nec oſtendi poteſt ius diuinum poſitiuum: Eccleſiaſticũ autem non obligat cum tanto rigore, maxime, cum ius ſibi ſubueniendi in tam graui neceſsitate, ſit maxime intrinſecum, & ideo Caietan. Matth. 26. opinatur hoc eſſe licitum, quod mihi maxime placet, & noſtra ætate Regina Scotiæ martyrium ſubitura, prius ſacramẽtum, quod apud ſe habebat, proprijs manib. ſumpſit cum ſumma omniũ laude, & quamuis fortaſſe habuerit amplam circa hoc Pontificis conceſſionem, tamen etiam ſine illa pie & ſanctè feciſſet.

*Durandus*

*Æger Sacerdos deficiente alio Sacerdote proprijs & non Diaconi manib. communicare debet.*

*Quæſtio ſatisfit.*

*Regina Scotiæ laudabile factum.*

## SECTIO IV.

*Quibus modis peccet mortaliter, qui indigne miniſtrat hoc ſacramentum, vel qui ab indigno miniſtrante ſuſcipit.*

Circa priorem partem huius quæſtionis, quæ proprie ad præſentem diſputationem ſpectat, generalis regula tradi poteſt, vt miniſter digne diſpenſet hoc ſacramentum, oportere, vt obſeruet omnes leges, quæ tam ex parte ſacramenti, quam ex parte recipientis, quam etiam ex modo & circumſtantijs, ac denique ex parte ipſius miniſtri, neceſſariæ ſunt ad huius ſacramenti reuerentiam. Primo itaque ex parte ſacramenti neceſſe eſt, vt miniſtretur ſub ſpecie panis rire conſecrati, & huc pertinet, vt neque ſub vtraque ſpecie, nec ſub ſola ſpecie vini diſpenſetur, iuxta ſuperius dicta præcedente diſputatione. Secundo ex parte ſumentium obſeruare debet omnia, quæ ſupra tractata ſunt, quæ omnia ſub hoc verbo cõcluduntur, vt non det indigne accedentibus, vel irreuerenter tractantibus hoc ſacramentum, quando in foro Eccleſiæ canſtat de digna ſumptione, voco autẽ ſumptionem indignam, non ſolum ratione peccati, ſed etiam ætatis, vt infantiæ, ſuppoſita Eccleſiæ conſuetudine, ratione amentiæ aut phreneſis, cum euidente periculo expuitionis, aut ratione ægritudinis, cum ſimili periculo vomitus, quæ omnia ſunt per ſe clara ex principijs poſitis, vt notauit Caiet. in ſum. verb. Communio, quia in his omnibus interuenit iniuria ſacramenti, quam vitare tenetur miniſter, quantum poteſt, & nullo modo illi cooperari, & in his omnib. interuenit peccatum mortale ex ſuogenere, excuſari tamen poteſt interdum propter ignorantiam, vel inaduertentiam, præſertim facti, vel futuri euentus.

*Miniſter Euchariſtiæ ad quid teneatur vt recte miniſtret.*

Tertio obſeruare debet miniſter omnes circumſtantias neceſſarias, quæ præcipue conſiderandę erũt iuxta Eccleſiaſticas leges, vel receptas conſuetudines, nam ex ſola natura rei vix poſſunt particulares aliquæ circumſtantiæ deſignari, præter illud generale principium, quod Paulus poſuit: Omnia veſtra ordinate fiant: quod maxime obſeruandum eſt in re tã graui ac religioſa: ex Eccleſiæ autem ordinatione, peccari in hoc grauiter poteſt, ſi, vel tempore ab Eccleſia interdicto miniſtretur, vel in loco prohibito, vt in priuata domo, ſine debita facultate, & Epiſcopi approbatione. Item, ſi miniſtretur ſine veſtibus ſacris, quæ iuxta morem Eccleſiæ neceſſariæ ſunt. Item, ſi miniſtretur ſine debito cultu, & apparatu, & cæremonijs vſitatis: In qua re perpauca eſſe videntur iuxta vſum Eccleſiæ neceſſaria, loquendo præciſe de diſpenſatione ſacramenti, quę fieri poteſt ex præconſecratis: nam ſufficit vt fiat in loco ſacro, aut approbato ad Epiſcopo, & quod miniſter indutus ſal-

tem

*Turrecr.* *Iac. de Gra.*

tem ſit ſuperpelliceo, & ſtola, vt notat Turrecrem. cap. Eccleſiaſt. diſt. 23. & Iacob. de Graſijs. lib. 2. c. 40. qui dicunt hæc eſſe neceſſaria ſub præciſa obligatione, præter hęc autem, nihil aliud eſſe videtur in rigore, & ex graui præcepto neceſſarium: nam licet ſoleat accendi lumen, & præmitti generalis confeſsio & aliquæ orationes, non videntur tamē hæc tam grauia tamq́ rigoroſa præcepta, vt, ſecluſo ſcandalo, & cōtemptu, eorum omiſsio mortale peccatū eſſe videatur: omnino tamen cauendum eſt, ne id fiat: eſt enim nonnulla irreuerentia, quia grauis culpa venialis excuſari non poteſt, pręſertim ſi voluntarie & ex ſola animi remiſsione fiat, abſq́ alia cauſa rationabili.

*Paludan.* *Soto.* *Nicol. Pap.*

Quartò, ex parte miniſtri, præter ea, quæ ſupra dicta ſunt de poteſtate Ordinis, & iuriſdictionis, neceſſaria eſt conueniens diſpoſitio, ſaltem vt nō ſir in ſtatu peccati mortalis, alioqui nouum peccatum mortale committeret, vt ſentiunt Dd. in 4. d. 13. Palud. q. 1. Soto art. 3. Sylueſt. verbo Euchariſt. 3. nu. 4. & colligitur ex Nicolao Papa in ca. vltimo 25. q. 8. vbi dicit: Adulterum Sacerdotem, minſtrando hoc ſacramentum, ſe tantummodo lędere, &, vnde alijs commodū exhibet, inde ſibi diſpēdium præbere. Ratio vero ſumi poteſt ex dictis ſupra de ſacramētis in genere, vbi hoc generaliter oſtendimus de omni miniſtrante quodlibet ſacramentum in peccato mortali. Dices, non videri hic eſſe eandem rationem, quia hic non agimus de conficiente Euchariſtiam, ſed præciſe de diſpenſante, qui nec ſumit, nec conficit ſacramētum, ſed tantum applicat iam factum. Reſpondetur, quāuis in hoc non ſit rationis ſimilitudo, tamen in eo eſt, quod hæc diſpenſatio eſt ſacrum & prauiſsimum miniſterium, ad quod ſancte perficiendum Sacerdos eſt peculiariter conſecratus, & ſpecialem gratiam accipit, & ideo graue peccatum committit, ſuo munere abutendo, & ſacramentum ſanctiſsimum non ſancte miniſtrando. Adeoq́ ſuperat hoc ſacramentum cætera, vt non ſit actio minus ſacra & religioſa hoc ſacramentum iam factum diſtribuere, quam vnctionem, verbi gratia, efficiendo miniſtrare: ſicut ergo hoc peccatum mortale, ita & illud: vnde fit, tanto fore grauius, quanto peior fuerit ſtatus miniſtrantis, magisve publicus, præſertim ſi ſacrilegio ſcandalum contingatur, augebitur deinde, ſi Eccleſiaſtica cenſura accedat, vt ſi ſit hæreticus, vel alia ratione excōmunicatus: nam ſola Eccleſiæ prohibitio, & cenſura eſt ſpeciale impedimentum per ſe ſufficiens, vt eius violatio ſpeciale peccatum mortale ſit, vt conſtat ex materia de cenſuris, & ex hoc titulo poterit irregularitas incurri; nam hæc adminiſtratio huius ſacramenti reuera eſt actus Ordinis ſacerdotalis, & ideo, qui illum exercet excommunicatus, irregularis fit, iuxta communem doctrinam de irregularitate.

*Obiectio.*

Sed obijcies contra præcedentem aſſertionē, quia ſequitur ſemper eſſe peccatū mortale, hoc ſacramentum tangere in peccato mortali, quia, quod maxime videtur facere, qui hoc ſacramētum miniſtrat, eſt illud tangere. Ad hoc quidam abſolute concedunt ſequelam, vt Adria. q. 3. de Baptiſmo. 2. parte illius circa fin. & fauet D. Thom. ſupra. q. 80. art. 4. d. 1. vbi rationem quandam aſsignat, ob quam peccatores, qui tangebant Chriſtum in propria ſpecie exiſtentem, non peccabant, nunc autem repelluntur à contactu huius ſacramenti.

*Adrian.*

*Solutio.*

Sed hoc nō eſt vniuerſaliter verū, primū enim, ſi occurrente neceſsitate ex parte ipſius ſacramenti, verbi gratia, vt à terra eleuetur, tāgatur ab aliquo in peccato mortali exiſtente, non eſt peccatum mortale, ſecluſo contemptu & ſcandalo, quia illud miniſterium non eſt proprie ſacrum, quod requirat miniſtrum conſecratum, ſed poteſt exerceri à laico, vt hic dixit Diuus Thomas, qui hanc etiam partem docuit in 4. d. 23. q. 1. a. 3. quæſtiunc. 5. ad 4. & Alenſ. 4. p. 52. membr. 7. Bonauent. in 4. d. 9. a. 2. q. vlt. Soto 13. q. 1. a. 3. Quin potius etiam ſi cauſa adorationis aliquis deoſcularetur hoc ſacramentum in ſtatu peccati mortalis, ab hoc capite non peccaret mortaliter, quamuis Bonau. ſignificet eſſe aliquod peccatū, & Soto addat, fortaſſe eſſe mortale, ſed non video, qua ratione, quia illa actio, neq́ ex receptio, neq́ adminiſtratio ſacramēti, nec per ſe requirit miniſtrum conſecratum, vt ex officio deputatum: licet ergo ſit aliqualis irreuerentia, maxime ſi homo aduertat ſtatum ſuum: tamen non eſt grauis iniuria, nec morale ſacrilegium, dico autem præciſe ex hoc capite, quia ſuppono, huiuſmodi contactum ſeu oſculum nō eſſe alioqui prohibitum, ſed per ſe licitum eſſe. Ad argumētum ergo negatur ſequela, quia adminiſtratio, vt dixi, eſt actus proprius miniſtri ſacri, ad quem ex officio ſanctificatur. Vnde fit maiorem rationem ſcrupuli eſſe in Sacerdote, qui exiſtens in peccato mortali tangit hoc ſacramentum, vel immediate, vt ab vno in aliud vas mutet, vel mediate, vt deferendo in proceſsione, vel in alium locum transferendo: nam totum hoc munus videtur per ſe proprium Sacerdotis. Quapropter, vt minimum, videtur res dubia, & in Sacerdote reprehendenda: ſed nihilominus non audeo dicere, hoc eſſe peccatum mortale, qa res non videtur adeo grauis, neq́ quæ per ſe ita requirit miniſtrum conſecratum, & ex officio ad hoc deputatū.

*D. Thom.* *Alenſis.* *Bonau.* *Soto.*

*Paludan.*

Sed quid, ſi laicus non ſolum tangat, ſed etiam deferat hoc ſacramentum ad infirmum propter extremā neceſsitatem? Reſpondeo, non peccare mortaliter, etiam ſi in peccato mortali id faciat. Ita Paludan. in 4. diſtinct. 5. quæſt. 2. concl. 3. & ratio eſt, quia, licet illa ſit diſpenſatio ſacramenti, tamen non ſolemniter facta, neque à miniſtro per ſe conſecrato ad illud munus, ſed ſolum priuatim ob neceſsitatem, ſicut dictū eſt de laico baptizāte in neceſsitate: eſt enim fere eadem ratio. Vnde addit Paludanus, idem eſſe dicendum de Sacerdote miniſtrante hoc ſacramentum in ſimili neceſsitate: ſed non eſt verum, per ſe loquendo. Poterit quidem interdum excuſari ob naturalem inaduertentiam ortam ex ſolicitudine & diligentia adhibita ratione neceſsitatis, tamen per ſe loquēdo, reuera tenetur ſe diſponere ad tale miniſterium, quia Sacerdos exercet ſemper hoc miniſterium, vt miniſter ex officio ad illud conſecratus, & tale miniſteriū, vt ab illo ſit, ſemper eſt de ſe ſolemne ac maxime ſacrum alioqui quotieſcunque Sacerdos præbet viaticum, excuſaretur ab hac obligatione: nam, quod deferat cum maiori, vel minori pompa exteriori, aut ex obligatione iuſtitiæ, vel ex charitate, parū intereſt ad obligationem prædictam. Non eſt autem neceſſe, vt ad huiuſmodi miniſterium cōfeſsionem præmittat: ſed ſufficiet contritio, cum communicaturus nō ſit. Præter hanc autem diſpoſitionem nō inuenio aliam ſimpliciter neceſſariam ad hoc miniſterium, vt, v. g. quod diſpenſans hoc ſacramentum ſit ieiunus, vel aliquid ſimile: nullum enim de hoc extat poſitiuum præceptum diuinum, aut Eccleſiaſticum.

*Nicol. Pap.*

Vltimo ex dictis definitur, quod ſupra huc remiſi, & ad recipientes pertinet, quomodo, ſcilicet, peccent recipiendo hoc ſacramentum ab indigne miniſtrante: ſeruanda enim eſt, & applicanda doctrina ſupra data de ſacramentis in genere: hoc enim per ſe & intrinſece malum non eſt, vt doceat Nicolaus Papa, dicto capite vltimo, 15. quæſtio. 8. quia hoc non eſt operari malum, ſed permittere, & vti iure ſuo, bene vtendo malitia alteri9 in proprium commodum. Quo fit, vt in duobus caſibus poſsit hoc eſſe malum. Primus, ſi in tali receptione includatur cooperatio ad peccatum alterius, quia cooperari ad peccatum, intrinſece malum eſt: erit autem cooperatio, ſi quis ſine cauſa, vel vtilitate, inducat alium non paratum ad tale miniſterium, aut ſi facile euitare poſſet talē peccatum proximi, talemque ſacramenti irreuerentiam, accipiendo ſacramentum ab alio digno miniſtro, & nolit facere, quæ omnia latius prædicto loco declarata ſunt. Secundus caſus eſt, ſi miniſter ſit ab

Eccleſia prohibitus, vel præciſus, quod iam intelligendum eſt, iuxta limitationem Concilij Conſtant. (Conc. Conſt.) prædicto loco tractatam. Hic vero inquiri ſolet, an ſit ſpecialis prohibitio recipiendi hoc ſacramentum à Sacerdote concubinario publico, ſicut Nauarr. (Nauar.) affirmat, cap. 25. num. 80. ex cap. Nullus. & cap. Præter hoc, diſtinct. 32. vbi etiam Miſſam prohibemur audire ab huiuſmodi Sacerdote. Sed verius cenſeo contrarium, quod tenet Soto (Soto.) in 4. diſtinct. 21. qu. 1. art. 4. quia illa prohibitio, vel per contrariam conſuetudinem ceſſauit, vel quod ſolidius eſt, reuocata videtur per Concil. Conſtant. (Conc. Conſt.) Nam regula ibi ſtatuta generalis eſt ad omnes cenſuras & ſuſpenſiones, & illa ſola iam eſt ſeruanda. Vltimo inquiri ſolet, an in caſu neceſsitatis extremæ liceat à quocunq; miniſtro recipere hoc ſacramentum, etiam ſi ſit præciſus ab Eccleſia, & maxime, ſi ſit hæreticus. Durand. (Durand.) enim, Paludan. & alij diſtinct. 13. abſolute negant, Gregor. lib. 6. Dialog. cap. 31. & habetur in cap. Superueniente 1. quæſt. 1. cap. vltim. 24. quæſt. 1. laudat Hermenigildum, eo quod in fine vitæ noluit ab hæretico Euchariſtiam accipere. Nihilominus cenſeo, à quocunque licet in eo caſu accipere ſacramentum. Pœnitentiæ, licere etiam ſumere ſacramentum Euchariſtiæ, iuxta generalem regulam poſitam in ca. Quod in te. de pœnit. & remiſſ. vbi, licet formaliter ſit ſermo ex parte recipientis, eſt tamen eadem ratio ex parte miniſtrantis: ſicut ergo ſacramentum pœnitentiæ permittitur accipi in extrema neceſsitate à quocunque Sacerdote quantumuis præciſo & hæretico, ita etiam ſacramentum communionis, quod licet non ſit tantæ neceſsitatis, eſt tamen maximę vtilitatis & grauiſſimæ ac ſufficientis neceſsitatis, vt non ſit veriſimile. voluiſſe Eccleſiam ſuos fideles priuare tanto beneficio in extremo mortis articulo, præſertim quia huiuſmodi cenſuræ ſunt in odium iniquorum Sacerdotum, ita tamen vt non cedant in grauiſsimum detrimentum bonorum fidelium: vnde in hoc nullus ſit fauor huiuſmodi malis miniſtris: ſed ſolum ipſis fidelibus in extrema neceſsitate exiſtentibus: licet ergo ab eis hoc ſacramentum ſuſcipere per ſe loquēdo: id eſt, ſecluſo periculo ſcandali publici, aut infamiæ religionis: aut periculi alterius mali, ad quod poſsit hominē talis miniſter inducere, quæ rationes maxime occurrere poſſunt, quando miniſter eſt hæretic9, & quātum ex hiſtoriis colligi poteſt in facto illo Hermenigildi interuenerunt, & ideo merito laudatur, tū ob rectam intentionem, tum ob prudentem actionē, qualis Catholicum & ſanctum Principem decebat.

## ARTICVLVS IV.

Vtrum Sacerdos conſecrans teneatur ſumere hoc ſacramentum.

Sup. q. 30. ar. 12. & 3. d. 12. q. 3. a. 2. q. 2.

*AD quartum ſic proceditur. Videtur, quod ſacerdos conſecrans non teneatur ſumere hoc ſacramentum. In alijs enim conſecrationibus ille, qui conſecrat materiam, nō vtitur ea ſicut Epiſcopus conſecrans chriſma, non linitur eodem. Sed hoc ſacramentum conſiſtit in conſecratione materiæ Ergo Sacerdos perficiens hoc ſacramentum nō neceſſe habet vti eodem: ſed poteſt licite à ſumptione eius abſtinere.*

*2. Præterea, In alius ſacramentis miniſter non præbet ſacramentum ſibi ipſi, nullus enim baptizare poteſt ſeipſum, vt ſupra dictum eſt* Sed ſicut baptiſmus ordinate diſpenſatur, ita & hoc ſacramentum Ergo Sacerdos perficiens hoc ſacramentum non debet ipſum ſumere à ſeipſo.* (q. 69. ar. 5. ad 4. argu.)

*3. Præterea, Contingit quandoq;, quod miraculoſe corpus Chriſti in altari apparet ſub ſpecie carnis, & ſanguis ſub ſpecie ſanguinis, quæ non ſunt apta cibo & potui: vnde (ſicut ſupra* dictum eſt) propter hoc ſub alia ſpecie traduntur, ne ſint horrori ſumentibus. Ergo Sacerdos conſecrans, non ſemper tenetur ſumere hoc ſacramentum.* (q. 75. ar. 5. & q. 79. art. 8.)

*Sed contra eſt, quod in Concilio Toletano legitur & habetur * de conſecrat. diſtinct. 2. capit. Relatum, Modis omnibus tenendum eſt, vt quotieſcunq; ſacrificans corpus Chriſti, & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti in altari immolat, toties perceptionis corporis & ſanguinis Chriſti participem ſe præbeat.* (In Conc. Tol. 5. can. 5. de cõ ſec. d. 2. cap. Relatum.)

*Reſpondeo dicendum, quod (ſicut ſupra dictum eſt) Euchariſtia non ſolum eſt ſacramentum, ſed etiam ſacrificium. Quicunq; autem ſacrificium offert, debet ſacrificij fieri particeps: quia exterius ſacrificium, quod offertur ſignum eſt interioris ſacrificij, quo quis ſeipſum offert Deo, vt Aug.* dicit, 10. de Ciuit. Vnde per hoc quod participat ſacrificio, oſtendit ad ſe ſacrificium interius pertinere. Similiter etiam per hoc, quod ſacrificium populo diſpenſat, oſtendit ſe eſſe diſpenſatorem diuinorum, quorum ipſe primo debet eſſe particeps, ſicut Dionyſ dicit in lib. Eccleſ. Hierar. Et ideo ipſe ante ſumere debet, quam populo diſpenſet. Vnde in prædict ca.* legitur: Quale eſt ſacrificium, cui nec ipſe ſacrificans particeps eſſe dignoſcitur? Per hoc autem ſit particeps, quod de ſacrificio ſumit ſecundum illud Apoſtoli, 1. Corin. 10. Nonne qui edunt hoſtias, participes ſunt altaris? Et ideo neceſſe eſt, quod Sacerdos, quotieſcunque conſecrat: ſumat integre hoc ſacramentum.* (q. 79. ar. 5. & 7.) (Lib. 10. cap. 5. tom. 5.) (Cap. 3. Eccl. Hierar. dicit nāde ad fin. Eod cā 5. 11. Conc. Tolet.)

*Ad primum ergo dicendum, quod conſecratio chriſmatis, vel cuiuſcunq; alterius materiæ non eſt ſacrificium, ſicut conſecratio Euchariſtiæ. Et ideo non eſt ſimilis ratio.*

*Ad ſecundum dicendum, quod ſacramentum baptiſmi perficitur in ipſo vſu materiæ. Et ideo nullus poteſt baptizare ſeipſum, quia in ſacramento non poteſt eſſe idem agens & patiēs. Vnde nec in hoc ſacramento Sacerdos conſecrat ſeipſum, ſed panem & vinum. In qua conſecratione perficitur ſacramentum, vſus autem ſacramenti eſt conſequenter ſe habens ad hoc ſacramentum. Et ideo non eſt ſimile.*

*Ad tertium dicendum, quod, ſi miraculoſe corpus Chriſti in altari ſub ſpecie carnis appareat, aut ſanguis ſub ſpecie ſanguinis, non eſt ſumendum. Dicit enim Hier. ſuper Leui. De hac quidem hoſtia, quæ in Chriſti commemoratione mirabiliter ſit edere, de illa vero, quam Chriſtus in ara Crucis obtulit, ſecundum ſe nulli edere licet. Nec propter hoc Sacerdos trāſgreſſor efficitur, quia ea, quæ miraculoſa ſiunt, legib. non ſubduntur. Conſulendum tamen eſſet Sacerdoti, quod iterato corpus & ſanguinem Domini conſecraret & ſumeret.* (Refertur de conſ d. 2. ca. De hac. Et Orig. hom. ſup. Leui.)

## COMMENTARIVS.

AFfirmat D. Thom. neceſſarium eſſe, vt Sacerdos conſecrans integre ſumat hoc ſacramētum, quia conſecrādo ſacrificat: qui autem ſacrificat, debet fieri ſacrificij particeps, edēdo ex illo, quia, vel hoc ſpectat ad perfectionem ſacrificij, vel eſt obligatio conſequens ipſum. De qua re hoc loco nihil amplius dicem9: pertinet enim ad materiam de ſacrificio, infra tractandam. Solum aduerte, ex diſcurſu D. Th. non videri probari concluſionem quoad illam particulā, (integre) quia, vt miniſter oſtendat ſe eſſe diſpenſatorē diuinorū, & ad ſacrificium pertinere, ſatis eſt, vt aliquid ex illo edat: nō eſt autem neceſſe, quod totum atq; integrum ſacrificium comedat. Reſpondetur, nō eſſe mentem D. Thom. neceſſarium eſſe, ſacerdotem ſumere totum, quod conſecrat, ſed ſumere vtramq; ſpeciem, & hoc vocat (integre) & hoc ſatis probatur, ſi ſupponamus, vtramq; ſpeciem eſſe de eſſentia hui9 ſacrificij quia oportet Sacerdotem participare de eo, quod eſt eſſentiale in ſacrificio. Solutio ad ſecundum explicata eſt diſputatione præcedente, ſect. 3. (D. Thom. concluſio affirmat.) (Satisfactio.)

## ARTICVLVS V.

Vtrum malus Sacerdos Euchariſtiam conſecrare poſsit.

*AD quintum ſic proceditur. Videtur, quod malus Sacerdos*

dos Euchariſtiam conſecrare non poſſit. Dicit enim Hieron.* ſuper Soph. Sacerdotes, qui Euchariſtiæ ſeruiunt & ſanguinẽ Domini populis diuidunt impie agunt in lege Chriſti, putantes Euchariſtiam precantis facere verba, non vitam, & neceſſariam eſſe ſolemnem orationem, & Sacerdotis merita, de quibus dicitur. Sacerdos in quocunque fuerit macula, non accedat offerre oblationes Domino. Sed Sacerdos peccator, cum ſit maculoſus, nec vitam habet, nec merita huic conuenientia ſacramento. Ergo Sacerdos peccator non poteſt conſecrare Euchariſtiam.

*Super illud Soph. 3. Sacerdotes polluerunt ſanctũ to. 6.*

2. Præterea, Damaſ. dicit in 4. libr. quod panis & vinum per aduentum ſancti Spiritus, ſupernaturaliter tranſit in corpus & ſanguinem Domini Sed Gelaſ. P. dicit (ſicut habetur* in decr. 1. q. 1. c. Sacroſancta). Quomodo ad diuini myſterij cõſecrationem, cœleſtis Spiritus inuocatus adueniet, ſi Sacerdos, qui eum adeſſe deprecatur criminoſis plenus actionibus comprobetur. Ergo per malum Sa.erdotem non poteſt Euchariſtia conſecrari.

*Li. 4 orth fid c. 14 non longe à med. In dec. 4. q. 1. c. Sacroſ.*

3. Præterea, Hoc ſacramentum Sacerdotis benedictione conſecratur. Sed benedictio Sacerdotis peccatoris non eſt efficax ad conſecrationem huius ſacramenti, cum ſcriptum ſit Malach. 2. Maledicam benedictionibus veſtris, & Dionyſ. * dicit in epiſtola ad Demophilum Monachum, perfecte cecidit à ſacerdotali Ordine, qui non eſt illuminatus & audax quidem nimium mihi videtur talis, Sacerdotalib. manum apponens, & audet immundas infamias (non enim dicam orationes) ſuper diuina ſymbola Chriſti formaliter enunciare.

*Circa med. illius.*

Sed contra eſt, quod Auguſtin* dicit in lib. de corp. Domini: Intra Eccleſiam Catholicam, in myſterio corporis & ſanguinis Domini, nihil à bono maius, nihil à malo minus perficitur Sacerdote, quia non in merito conſecrantis, ſed in verbo perficitur creatoris, & virtute Spiritus ſancti.

*Refertur 1, q. 2. c intra Catholicam Et de conſe d. 2 c. Vtrum ſub ex lib. de corpore Domini*

Reſpondeo dicendum, quod (ſicut ſupra dictum eſt*) Sacerdos conſecrat hoc ſacramentum, non virtute propria, ſed ſicut miniſter Chriſti, in cuius perſona conſecrat hoc ſacramentum. Non autem ex hoc ipſo deſinit aliquis miniſter eſſe Chriſti, quod eſt malus: habet enim Dominus bonos & malos miniſtros, ſeu ſeruos. Vnde Matthæus 24. dicit, quis putas eſt fidelis ſeruus & prudens? & e poſtea ſubdit. Si autem dixerit ille ſeruus in corde ſuo, &c. Et Apoſtolus dicit 1. Corinth. 4. Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, tamen poſtea ſubdit: nihil mihi conſcius ſum: ſed non in hoc iuſtificatus ſum Erat ergo certus, ſe eſſe miniſtrum Chriſti, tamen non erat certus, ſe eſſe iuſtum. Poteſt ergo aliquis eſſe miniſter Chriſti, etiam ſi iuſtus non ſit. Et hoc ad excellentiam Chriſti pertinet, ſicut verò Deo ſeruiunt, non ſolum bona ſed mala, quæ per ipſius prouidentiam in eius gloriam ordinantur. Vnde manifeſtum eſt, quod Sacerdotes, etiam ſi non ſint iuſti, ſed peccatores, poſſunt Euchariſtiam conſecrare

*Art. 1. & 2. huius quæſt.*

Ad primum ergo dicendum, quod Hieron.* per illa verba improbat errorem Sacerdotum, qui credebant ſe digne poſſe Euchariſtiam conſecrare, ex hoc ſolo, quod ſunt Sacerdotes, etiamſi ſint peccatores. Quod improbat Hieronymus per hoc, quod maculoſi ad altare accedere prohibentur. Non tamen remouetur, quin, ſi acceſſerint, ſit verum ſacrificium quod offerunt.

*Loco citato in argum.*

Ad ſecundum dicendum, quod ante illa verba, Gelaſius Papa præmittit. Sacroſancta religio, quæ Catholicam continet diſciplinam, tantam ſibi reuerentiam vendicat, vt ad eam quilibet (niſi pura conſcientia) non audeat peruenire. Ex quo manifeſte apparet, eius intentionem eſſe, quod peccator ſacerdos non debet ad hoc ſacramentum accedere. Vnde per hoc, quod ſubdit. Quomodo cœleſtis Spiritus inuocatus adueniet? intelligi oportet, quod non aduenit ex merito Sacerdotis, ſed ex* virtute Chriſti, cuius verba profert Sacerdos.

*In prin. c. cita in art.*

Ad tertium dicendum, quod ſicut eadem actio in quan-tum ſit ex praua intentione miniſtri, poteſt eſſe mala, bona autem in quantum ſit ex bona intentione Domini, ita benedictio Sacerdotis peccatoris, in quantum ab ipſo indigne ſit, eſt maledictione digna, & quaſi infamia ſiue blaſphemia, & non oratio reputatur: in quantum autem profertur ex perſona Chriſti, eſt ſancta & efficax ad ſanctificandum, Vnde ſignanter dicitur. Maledicam benedictionibus veſtris.

DE quæſtione huius articuli nihil occurrit dicendum præter ea, quæ de miniſtris ſacramẽtorum in genere tractauimus, & quæ addidimus ſub finem quæſtionis 78. diſp. 61. ſect. 3.

## ARTICVLVS VI.

### Vtrum Miſſa mali Sacerdotis minus valeat, quàm Miſſa Sacerdotis boni.

AD ſextum ſic proceditur. Videtur, quod Miſſa Sacerdotis mali non minus valeat, quam Miſſa Sacerdotis boni. Dicit enim Gregor.* in Regiſtro: Heu in quam magnum laqueum incidunt, qui diuina & occulta myſteria, plus ab alijs ſanctificata poſſe fieri credunt, cum vnus idemque Spiritus ſanctus myſteria occulte, atque inuiſibiliter operando ſanctificet? Sed hæc occulta myſteria celebrantur in Miſſa. Ergo Miſſa mali Sacerdotis non minus valet, quam Miſſa boni.

*✱ d 13. q 1. q. 5. Refertur hoc in dec 1. q. 1. c. Multis ante med.*

2. Præterea, Sicut Baptiſmus traditur à miniſtro in virtute Chriſti, qui baptizat: ita & hoc ſacramentum in perſona Chriſti conſecratur. ſed non melior Baptiſmus datur à meliori miniſtro, vt ſupra dictum eſt Ergo etiam neque melior Miſſa eſt, quæ celebratur à meliori Sacerdote.

*q. 64. a 5. & q 67. a. 1. & alijs.*

3. Præterea, Sicut merita Sacerdotum differunt per bonum & melius, ita etiam differunt per bonum & malum. Si ergo Miſſa melioris Sacerdotis eſt melior, ſequitur quod Miſſa mali Sa.erdotis ſit mala. Quod eſt inconueniens, quia malitia miniſtrorum non poteſt redundare in Chriſti myſteria, ſicut Aug.* di.it in libro de Baptiſmo. Ergo neque Miſſa melioris Sacerdotis eſt melior.

*Lib. 2. cont lit Petilia c. 62. circa finem à lijs verò to 6*

Sed cõtra eſt, quod habetur in De.retis, 1. q. 1.* Quãto Sacerdotes fuerunt digniores tanto facilius in neceſſitatibus pro quibus clamant, exaudiuntur.

*In dec. 1. q. 1. c 92. Ipſi Sacerdotes.*

Reſpondeo dicendum, quod in Miſſa duo eſt conſiderare, ſcilicet ipſum ſacramentum, quod eſt principale, & orationes quæ in Miſſa fiunt pro viuis, & mortuis. Quantum ergo ad ſacramentum, non minus valet Miſſa Sacerdotis mali, quam boni, quia vtrobique idem conficitur ſacramentum. Oratio etiam, quæ fit in Miſſa, poteſt conſiderari dupliciter. Vno modo inquantum habet efficaciam ex deuotione Sacerdotis orantis Et ſic non eſt dubium, quod Miſſa melioris Sacerdotis magis eſt fructuoſa. Alio modo in quantum oratio in Miſſa profertur à Sacerdote in perſona totius Eccleſiæ, cuius Sacerdos eſt miniſter. Quod quidem miniſterium, etiam in peccatoribus manet, ſicut ſupra dictum eſt* de miniſterio Chriſti. Vnde etiam quantum ad hoc, eſt fructuoſa non ſolum oratio Sacerdotis peccatoris in Miſſa. ſed etiam omnes eius orationes, quas facit in Eccleſiaſticis officijs, in quibus gerit perſonam Eccleſiæ, licet orationes eius priuatæ non ſint fructuoſæ, ſecundum illud Prouerb. 2. Qui declinat aures ſuas, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.

*Art. præc.*

Ad primum ergo dicendum, quod Gregor.* loquitur ibi, quantum ad ſanctitatem diuini ſacramenti.

*Loco citato in argum.*

Ad ſecundum dicendum, quod in ſacramento baptiſmi non fiunt ſolemnes orationes pro omnibus fidelibus, ſicut in Miſſa Et ideo, quantum ad hoc, non eſt ſimile. Eſt autem ſimile quantum ad effectum ſacramenti.

Ad tertium dicendum, quod per virtutem Spiritus ſancti (quod per vnitatem charitatis communicat inuicem bona membrorum Chriſti) ſit, quod bonum priuatum, quod eſt in



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

*Miſſa Sacerdotis boni, eſt fructuoſum alijs, Malum autem priuatum vnius hominis non poteſt alteri nocere, niſi per aliquem conſenſum, vt Auguſtinus * dicit in libro contra Parmen.*

*Li. 2. ex c. 13. to. 7. & extra 5 in Ioan. 10. 6*

COMMENTARIVS.

HÆc quæſtio intelligi poteſt de effectu huius ſacramenti, vt ſacramentum eſt, qui poteſt duplex diſtingui: alter eſt effectus formæ, qui eſt conſecratio, ſeu ſacramentum in facto eſſe, & hoc modo conſtat ex dictis art. præced. bonitatem vel malitiam miniſtri nihil referre ad hunc effectum. Alter effectus eſt ipſius ſacramenti applicati ad vſum, qui non pertinet proprie ad effectum Miſſæ, vt ſic, & ideo nec D. Thomas de illo loquitur, nec aliquid addendum occurrit doctrinæ traditæ de ſacramentis in genere: nam hic effectus per ſe, & ex opere operato, nec augetur, nec minuitur ex conditione dantis, vt ſic. Quod ideo dico, quia etiam ipſe miniſter, qui Miſſam dicit, ſumit hoc ſacramentum; & ſic malitia eius poteſt impedire effectum, & bonitas poteſt conferre ad augmentum eius, non tamen, vt eſt diſpoſitio dantis, ſed recipientis. Alio modo intelligi poteſt quæſtio de effectu huius myſterij, vt ſacrificium eſt, & hoc modo diſtinguit D. Thom. ſubſtantiam ſacrificij ab orationibus adiunctis ex inſtitutione Eccleſię, quas dupliciter dicit conſiderari poſſe, vno modo in quantum fiunt in perſona Eccleſiæ, cuius Sacerdos eſt miniſter, alio modo in quantum ſacerdos, vt priuata perſona orat. Et ſic tria reſpondet: Primo, effectum ſacrificij ſecundum ſe non augeri, nec minui ob vitam Sacerdotis. Secundo idem dicit de effectu orationum, vt fundãtur in merito Eccleſiæ, & de his dicturi ſumus in materia de ſacrificio. Tertium eſt, fructum illarum orationum, prout funduntur à miniſtro, vt priuata perſona multum pendere ex deuotione, quia, quo fuerit ſanctior, & maiore deuotione orauerit, eo magis meritoriæ, magiſque efficaces erunt orationes eius corã Deo. Si autem fuerit peccator, non erunt fructuoſæ. Quæ omnia conſtant ex materia de merito & de oratione: nam hæc doctrina generalis eſt. Solum indiget expoſitione illud vltimum verbum, quod huiuſmodi orationes peccatoris non ſunt fructuoſæ, quod non eſt generaliter verum de omnibus orationibus peccatorum, vt conſtat ex eodem D. Th. 2. 2. ar. 16: vbi ex ſententia Auguſt. & Chryſ. docet etiam orationes peccatorum exaudiri, ſi debitis conditionibus fiant, quamquam non ex iuſtitia, ſed ex diuina beneuolentia exaudiantur, quia tales orationes ex parte ipſius orantis nullius valoris ſunt: & hoc modo poſſet exponi, quod hic dicitur, tales orationes eſſe infructuoſas. Vel aliter, & fortaſſe meli⁹, aliud eſt, orationem fieri à peccatore, de quo eſt ſermo in 2. 2. aliud vero eſt, orationem ipſam eſſe peccaminoſam, ita vt ipſa mala ſit, & offenſionem Dei contineat, & hæc infructuoſa prorſus eſt, cum Deum potius ad vindictam, quam ad miſericordiam prouocet, & huiuſmodi eſt oratio Sacerdotis mali in Miſſa deprecantis Deum: quia tota illa actio male fit & indigne, & in hoc ſenſu locutus eſt D. Thom. & in eo recte intelligitur teſtimonium, quod affertur ex Prouerb. 28. Qui declinat aures ſuas, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.

*D. Thomæ concluſio.*

*Explicantur quædam D. Tho. verba*

*Prou. 28.*

ARTICVLVS VII.

Vtrum hæretici, ſchiſmatici, & excommunicati poſſint conſecrare.

*AD ſeptimum ſic proceditur. Videtur, quod hæretici, ſchiſmatici, & excommunicati, Euchariſtiam conſecrare non poßint. Dicit enim Auguſt * quod extra Eccleſiam Catholicam non eſt locus veri ſacrificij. Et Leo Papa dicit, * & habetur in decretis, 1. qu. 1. Aliter ſcilicet, quam in Eccleſia, quæ corpus Chriſti eſt: nec rata ſunt ſacerdotia, nec vera ſacrificia. Sed hæretici, ſchiſmatici, & excommunicati, ſunt ab Eccleſia ſeparati. Ergo non poſſunt verum ſacrificium conficere.*

*In li. ſen. ex Aug. collectarum, ca. 15. in 3.*

*Leo in ep. habetur 1. q. 1. c. in Eccleſia Dei.*

*2. Præterea, Sicut ibidem legitur, Innoc. * Papa dicit: Arrianos, cæteroſq; eiuſmodi peſtes, quia laicos eorum ſub imagine pœnitentiæ ſuſcipimus, non videntur clerici eorum cum ſacerdotij, aut cuiuſpiam myſterij, ſuſcipiendi dignitate eſſe, quibus ſolum Baptiſma ratum eſſe permittimus. Sed non poteſt aliquis conſecrare Euchariſtiam, niſi ſit cum ſacerdotij dignitate. Ergo hæretici, & cæteri huiuſmodi, non poſſunt Euchariſtiam conſecrare.*

*Ep. 1. c. 7. Arrianos.*

*3. Præterea, Ille, qui eſt extra Eccleſiam non videtur aliquid poſſe agere in perſona totius Eccleſiæ, ſed ſacerdos conſecrans Euchariſtiam, hoc agit in perſona totius Eccleſiæ. Quod patet ex hoc, quod omnes orationes proponit in perſona Eccleſiæ. Ergo videtur, quod illi, qui ſunt extra Eccleſiam ſc. hæretici ſchiſmatici, & excommunicati non poßint conſecrare Euchariſtiam.*

*Sed contra eſt, quod Aug. dicit in 2 contra Parmen. Sicut Baptiſmus in eis, ſcilicet hæreticis, ſchiſmaticis, & excommunicatis ita Ordinatio manſit integra. Sed ex vi Ordinationis Sacerdos poteſt conſecrare Euchariſtiam, ergo hæretici, ſchiſmatici, & excommunicati, cum in eis maneat Ordinatio integra, videtur, quod poßint conſecrare Euchariſtiam.*

*Lib. 2. c. 13. to. 7.*

*Reſpondeo dicendum, quod quidam dixerunt, quod hæretici, ſchiſmatici, & excommunicati, quia ſunt extra Eccleſiam, non poſſunt conficere hoc ſacramentum. Sed in hoc decipiunt: quia ſicut Auguſtinus dicit * in 2. contra Parmenianum, Aliud eſt aliquid omnino non habere: aliud autem non recte habere, & ſimiliter etiam eſt aliud non dare, & aliud non recte dare. Illi igitur, qui intra Eccleſiam conſtituti receperunt poteſtatem conſecrandi Euchariſtiam in Ordinatione Sacerdotij, recte quidem habent poteſtatem, ſed non recte ea vtuntur, ſi poſtmodum per hæreſim aut ſchiſma, aut excommunicationem, ab Eccleſia ſeparantur. Qui autem ſic ſeparati ordinantur, nec recte habent poteſtatem, nec recte vtuntur. Quod tamen vtrique poteſtatem habeant, patet per hoc, quod (ſicut Auguſtin * ibidem dicit) cum redeunt ad vnitatem Eccleſiæ non reordinantur, ſed recipiuntur in ſuis Ordinibus. Et quia conſecratio Euchariſtiæ eſt actus conſequens Ordinis poteſtatem, illi qui ſunt ab Eccleſia ſeparati per hæreſim, aut ſchiſma, vel excommunicationem, poſſent quidem conſecrare Euchariſtiam, quæ ab eis conſecrata: verum corpus & ſanguinem Chriſti continet, non tamen hoc recte faciunt, ſed peccãt facientes. Et ideo fructum ſacrificij non percipiunt, quod eſt ſacrificium ſpirituale.*

*Lib. 2. c. 13. contra Parmenianum to. 7.*

*Li. 2. cont. Parmen. c. 13. to. 7.*

*Ad primum ergo dicendum, quod authoritates illæ, & ſimiles, intelligendæ ſunt, quantum ad hoc, quod non recte extra Eccleſiam ſacrificium offertur. Vnde extra Eccleſiam non poteſt eſſe ſpirituale ſacrificium, quod eſt verum veritate fructus, licet ſit verum veritate ſacramenti, ſicut ſupra dictum eſt, quod peccator ſumit corpus Chriſti ſacramentaliter, ſed non ſpiritualiter.*

*AD ſecundum dicendum, quod ſolus Baptiſmus permittitur eſſe ratus hæreticis, & ſchiſmaticis, quia poſſunt licite baptizare in articulo neceßitatis. In nullo autem caſu licite poſſunt Euchariſtiam conſecrare, vel alia ſacramenta conferre.*

*Ad tertium dicendum, quod Sacerdos in Miſſa, in orationib. quidem loquitur in perſona Eccleſiæ, in cuius vnitate conſiſtit. Sed in conſecratione ſacramenti loquitur in perſona Chriſti, cuius vicem in hoc gerit per Ordinis poteſtatem. ideo, ſi Sacerdos ab vnitate Eccleſiæ præciſus, Miſſam celebret, quia poteſtatem Ordinis non amittit, conſecrat verum corpus & ſanguinem Chriſti: ſed quia ab Eccleſiæ vnitate ſeparatus, orationes eius efficaciam non habent.*

CON-

## COMMENTARIVS.

DE hoc articulo legenda ſunt loca citata in artic. 5. Solum eſt notanda ſolutio ad 3. D. Thom. in qua ſentit, huiuſmodi ſacerdotes ab Eccleſia præciſos nō amittere quidem miniſterium, quod exercēt in perſona Chriſti, amittere autem miniſterium, quod faciunt in perſona Eccleſiæ: quia ab Eccleſiæ vnitate ſeparati ſunt, contra quam rationem facere poteſt, nā etiam eſt ſeparat⁹ ab vnitate Chriſti, & maxime ſi ſit hæreticus: ſicut ergo Chriſtus vtitur interdum miniſtro à ſe ſeparato, ita poteſt Eccleſia. Reſpon. huiuſmodi miniſtrum ſemper eſſe vnitum Chriſto, vel per characterem ſacerdotalem, qui eſt veluti participatio quædam poteſtatis Chriſti, vel per ſubordinationem inſtrumenti ad principale agens, quomodo baptizare poteſt ethnicus: ſufficit enim Chriſto ratione ſuæ potentiæ prędicta ſubordinatio, quamuis ſola in ſolo baptiſmi ſacramento ſufficiat, non quia non potuiſſet Chriſtus aliter inſtituere, ſed quia nō oportuit, vt alibi dictum eſt. Dices, etiam reſpectu Eccleſiæ intercedit vnio per characterem, & ſubordinationem moralem, quia talis miniſter eſt illi ſubiectus, & ſi fidelis ſit eſt membrum eius. Reſpon. non eſſe ſermonem de hac vnione, ſed de illa, quæ per ſe ordinatur ad prædictum miniſterium, ſcilicet, quod talis miniſter ſit ab Eccleſia deputatus, vt ſuo nomine preces ad Deum fundat, à quo miniſterio ſeparatur per cenſuram, qua dicitur ſeparatus ab vnitate Eccleſiæ, quę eſt ratio ſufficiens, vt non offerat, neq; oret in perſōna Eccleſiæ, de qua re plura inferius, de ſacrificio tractantes.

## ARTICVLVS VIII.

### Vtrum Sacerdos degradatus poſsit hoc ſacramentum conficere.

4. d. 13. q. 1. ar. 5. q. 4. Et qu. 11. ar. 16.

AD decimum ſic proceditur. Videtur, quod Sacerdos degradatus non poſsit hoc ſacramentum conficere Nullus enim conficit hoc ſacramentū, niſi per poteſtatem conſecrandi, quam habet. Sed degradatus non habet poteſtatem conſecrandi, licet habeat poteſtatem baptizandi, vt dicit Canon. 1. q. 1. c. quidam. Ergo videtur, quod Presbyter degradatus non poſsit Euchariſtiam conſecrare.

Habetur in decr. 1. q. 1. c. Quodquidā circa med.

2. Præterea, Ille, qui aliquid dat, poteſt etiam auferre. Sed Epiſcopus dat Presbytero poteſtatem conſecrandi ordinando ipſum. Ergo etiam poteſt ei auferre, degradando eum.

3. Præterea, Sacerdos per degradationem, aut amittit poteſtatem conſecrandi, aut ſolam executionem. Sed non ſolam executionem, quia ſic non plus amitteret degradatus, quam excommunicatus, qui etiam executione caret. Ergo videtur, quod amittat poteſtatem conſecrandi. Et ideo videtur, quod non poſsit conficere hoc ſacramentum.

Lib. 2. ca. 13. tom. 17.

Sed contra eſt, quod * Auguſt. 2. contra Parmen probat, quod Apoſtatæ à fide non carent baptiſmate, per hoc, quod per Pœnitentiam redeuntibus non reſtituitur, & ideo amitti non poſſe iudicatur. Sed ſimiliter degradatus, ſi reconcilietur, non eſt iterum ordinandus. Ergo non amiſit poteſtatem conſecrandi. Et ita Sacerdos degradatus poteſt conficere hoc ſacramentum.

q. 63. ar. 5.

Reſpondeo dicendum, quod poteſtas conſecrandi Euchariſtiam, pertinet ad characterem ſacerdotalis Ordinis. Character autem quilibet, quia cum quadam conſecratione datur, indelebilis eſt, vt ſupra dictum eſt, *ſicut & quarumcunq; rerum conſecratione perpetuæ ſunt, nec amitti, nec reiterari poſſunt. Vnde manifeſtum eſt, quod poteſtas conſecrandi amittitur per degradationem. Dicit enim Aug. *in 2. contra Parmē. Vtrumq;, ſcilicet, Baptiſmus & Ordo, ſacramentum eſt, & quadam conſecratione vtrumq; homini datur, illud, cum baptizatur, iſtud cum ordinatur, ideoq; non licet à Catholicis vtrumq; iterari. Et ſic patet, quod Sacerdos degradatus poteſt conficere hoc ſacramentum.

Libr. 2. co. 13. med tom. 7.

Ad primum ergo dicendum, quod Canon ille non loquitur aſſertiue, ſed inquiſitiue, ſicut ex circumſtantia literæ haberi poteſt.

Ad ſecundum dicendum, quod Epiſcopus non dat poteſtatem ſacerdotalis Ordinis propria virtute, ſed inſtrumētaliter, ſicut miniſter Dei, cuius effectus per hominem tolli non poteſt, ſecundum illud Matt. 19. Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet. Et ideo Epiſcopus non poteſt hanc poteſtatem auferre; ſicut nec ille, qui baptizat, poteſt auferre characterem baptiſmalem.

Ad tertium dicendum, quod excommunicatio eſt medicinalis. Et ideo excommunicatis non aufertur executio ſacerdotalis poteſtatis, quaſi in perpetuum, ſed ad correctionem, vſq; ad tempus. Degradatis autem aufertur executio, quaſi in perpetuum condemnatis.

## ARTICVLVS IX.

### Vtrum liceat ab excommunicatis, vel hæreticis, ſeu peccatoribus, communionem recipere, & eorum Miſſam audire.

AD nonum ſic proceditur. Videtur, quod aliquis licite poſsit communionem recipere à Sacerdotibus hæreticis, vel excommunicatis, vel etiam peccatoribus, & ab eis Miſſam audire. Sicut enim Aug. contr. Petilian. dicit. Neq; in homine bono, neq; in homine malo, aliquis Dei fugiat ſacramenta. Sed Sacerdotes, quamuis ſint peccatores & hæretici, vel excōmunicati, verum conficiunt ſacramentum. Ergo videtur, quod non ſit vitandum ab eis communionem accipere, vel eorum Miſſam audire.

Supr q. 64. a. 9. ad 2. & 3. & 4. d. 13. q. 1. a. 3. & 2. Refertur hoc in decr. 1. q. 1. c. Neq; in pr.

2. Præterea, Corpus Chriſti verum figuratiuum eſt corporis myſtici, ſicut ſupra dictum eſt. Sed à prædictis Sacerdotibus verum corpus Chriſti conſecratur. Ergo videtur, quod illi, qui ſunt de corpore myſtico, poſſent eorum ſacrificijs communicare.

q. 18. art. 4.

3. Præterea, Multa peccata ſunt grauiora, quā fornicatio. Sed non eſt prohibitum audire Miſſas ſacerdotum aliter peccantium. Ergo etiam non debet eſſe prohibitum audire Miſſas Sacerdotum fornicariorum.

Sed contra eſt, quod Can. dicit 32. diſt. *Nullus Miſſam audiat Sacerdotis, quem indubitanter cōcubinam nouit habere. Et* Greg. dicit in 3. dial. quod Pater perfidus Arrianum Epiſcopum miſit ad filium, vt de eius manu ſacrilega conſecrationis communionem perciperet, ſed vir Deo deditus Arriano Epiſcopo venienti exprobrauit, vt debuit.

diſ. 32. cap. Nullus. Gregor. lib. 3. dial. c. 31. parum à princ.

Reſpondeo dicendum, quod (ſicut ſupra dictum eſt*) ſacerdotes ſi ſint hæretici, vel ſchiſmatici, vel excommunicati, vel etiam peccatores, quamuis habeant poteſtatem conſecrandi Euchariſtiam, non tamen ea recte vtuntur, ſed peccant vtentes. Quicunq; autem communicat alicui in peccato, is particeps peccati efficitur. Vnde & in 2. * Canon. Ioann. dicitur, quod qui dixerit ei aue (ſc. hæretico) communicat operibus illius malignis. Et ideo non licet à prædictis communionem accipere, aut eorum Miſſam audire. Differt tamen inter prædictas ſectas: Nam hæretici, & ſchiſmatici excommunicati ſunt per ſententiam Eccleſiæ, executione conſecrandi priuati, & ideo peccat, quicunq; eorum Miſſam audit, vel ab eis accipit ſacramenta. Sed non omnes peccatores ſunt per ſententiam Eccleſiæ executione huius poteſtatis priuati. Et ſic quamuis ſint ſuſpenſi, quantum ad ſe ex ſententia diuina, non autem quantum ad alios ex ſententia Eccleſiæ. Et ideo vſque ad ſententiam Eccleſiæ, licet ab eis communionem accipere, & eorum Miſſam audire. Vnde ſuper illud 1. Cor 5. Cum huiuſmodi nec cibum ſumere, dicit Gloſ. Aug. Hoc dicendo, noluit hominem ab homine iudicari ex arbitrio ſuſpicionis, vel etiam extraordinario vſurpato iudicio, ſed potius ex lege Dei ſecundum ordinem Eccleſiæ, ſiue vltro confeſſum, ſiue accuſatum & conuictum.

Ar. 5. 6. 7. & 8. huius qu. Circa finem illius.



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

*Ad primum ergo dicendum, quod in hoc, quod refugimus audire Miſſas talium ſacerdotum, aut ab eis communionem recipere, non refugimus Dei ſacramenta, ſed potius ea veneramur. Vnde hoſtia à talibus ſacerdotibus conſecrata, eſt adorāda, & ſi reſeruetur, licite poteſt ſumi à ſacerdote legitimo. Sed refugimus culpam indigne miniſtrantium.*

Q. 80. art. 5, & ar. 7. huius q.

*Ad ſecundum dicendum, quod vnitas corporis myſtici eſt fructus corporis veri præcepti. Illi autem qui indigne percipiūt, vel miniſtrant priuantur fructu, vt ſupra dictum eſt.* Et ideo non eſt ſumendum ex eorum diſpenſatione ſacramentum, ab eis, qui non ſunt in vnitate Eccleſiæ.*

*Ad tertium dicendum, quod licet fornicatio non ſit grauior cæteris peccatis, tamen ad eam proniores ſunt homines propter carnis concupiſcentiam. Et ideo ſpecialiter hoc peccatum ſacerdotibus prohibitum eſt ab Eccleſia, & ne aliquis audiat Miſſam concubinarij ſacerdotis. Sed hoc intelligendum eſt de notorio, vel per ſententiam, quæ fertur in conuictum, vel per confeſſionem in iure factam, vel per euidentiam facti, quando non poteſt peccatum aliqua tergiuerſatione celari.*

Hic articulus explicatus eſt in fine diſputationis præcedentis.

## ARTICVLVS X.

Vtrum liceat ſacerdoti, omnino à conſecratione Euchariſtiæ abſtinere.

4. d. 12 q. 3. a. 2 qu. 3. & d. 23. q. 1. a. 1. q. 1.

*AD decimum ſic proceditur. Videtur, quod liceat ſacerdoti, omnino à conſecratione Euchariſtiæ abſtinere. Sicut enim ad officium ſacerdotis pertinet Euchariſtiam conſecrare; ita etiam baptizare, & in alijs ſacramentis, miniſtrare. Sed Sacerdos non tenetur miniſtrare in alijs ſacramentis, niſi propter curam animarum ſuſceptam. Ergo videtur, quod nec etiam teneatur Euchariſtiam conſecrare, ſi curam non habeat animarum.*

a. 7 huius q.

*2. Præterea, Nullus tenetur facere, quod ſibi non licet, alioquin eſſet perplexus. Sed ſacerdoti peccatori, vel etiam excommunicato, non licet Euchariſtiam conſecrare, vt ſupra dictum eſt.* Ergo videtur, quod tales non teneantur ad celebrandum. Et ita nec alij, alioquin ex ſua culpa commodum reportarent.*

Gelaſ. Palladio Epiſcopo ſcriben. Habetur in dec d 55. ca. Præcepta canonica in pr.

*3. Præterea, Dignitas ſacerdotalis non perditur per ſubſequentem infirmitatum, dicit enim Gelaſ.* Papa, & habetur in decretis, diſt. 55. Præcepta canonica. ſicut non patiuntur venire ad ſacerdotium debiles corpore; ita ſi quis in eo fuerit conſtitutus, ac tunc fuerit ſauciatus, amittere non poteſt, quod tēpore ſuæ ſynceritatis accepit. Contingit autem quandoq; , quod Ordinati in ſacerdotes, incurrunt aliquos defectus, ex quibus à celebratione impediuntur, ſicut eſt lepra vel morbus caducus, vel aliquid aliud huiuſmodi. Non ergo videtur, quod ſacerdotes ad celebrandum teneantur.*

*Sed contra eſt, quod Ambroſ. dicit in quadam oratione. Graue eſt, quod ad menſam tuam mundo corde; & manibus innocentibus non venimus; ſed grauius eſt, ſi, dum peccata metuimus, etiam ſacrificium non reddamus.*

*Reſpondeo dicendum, quod quidam dixerunt, quod ſacerdos poteſt omnino à conſecratione licite abſtinere, niſi teneatur ex cura ſibi commiſſa celebrare populo, & ſacramenta præbere. Sed hoc irrationabiliter dicitur: quia vnuſquiſq; tenetur vti gratia ſibi data, cum fuerit opportunum, ſecundum illud 2. ad Cor. 6. Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Opportunitas autem ſacrificium offerendi, non ſolum attenditur per comparationem ad fideles Chriſti, quibus oportet ſacramenta miniſtrari, ſed principaliter per comparationem ad Deum, cui conſecra ione huius ſacramenti ſacrificium offertur. Vnde ſacerdoti, etiam ſi non habeat curam animarum, non licet omnino à celebratione ceſſare, ſed ſaltem videtur, quod celebrare teneatur in præcipuis feſtis, & maxime in illis diebus, in quibus fideles communicare conſueuerunt. Et hinc eſt, quod 2. Machab. 4. contra quoſdam ſacerdotes dicitur, quod iam non circa altaris officia dediti erant, contempto templo, & ſacrificijs neglectis.*

*Ad primum ergo dicendum, quod alia ſacramenta perficiuntur in vſum fidelium. Et ideo in alijs miniſtrare non tenetur, niſi ille, qui ſuper fideles ſuſcepit curam. Sed hoc ſacramētum perficitur in conſecratione Euchariſtiæ, in qua ſacrificium Deo offertur; ad quod ſacerdos obligatur Deo ex Ordine iam ſuſcepto.*

*Ad ſecundum dicendum, quod ſacerdos peccator, ſi per ſententiam Eccleſiæ ſit executione Ordinis priuatus, vel ſimpliciter, vel ad tempus, redditus eſt impotens ad ſacrificium offerendum, & ideo obligatio tollitur. Hoc autem cedit ſibi in detrimentum ſpiritualis fructus, magis quam in emolumentum. Si vero non ſit priuatus poteſtate celebrandi, non ſoluitur obligatio: nec tamen perplexus eſt; quia poteſt de peccato pænitere, & celebrare.*

*Ad tertium dicendum, quod debilitas, vel ægritudo ſuperueniens Ordini ſacerdotali, Ordinem non tollit, executionem tamen Ordinis tollit, quantum ad cōſecrationem Euchariſtiæ. Quandoq; quidem propter impoſſibilitatem executionis, ſicut ſi priuetur oculis, aut digitis, aut vſu linguæ. Quandoq; autem propter periculum, ſicut patet de eo, qui patitur morbum caducum, vel etiam quamcunq; alienationem mentis. Quandoq; propter abominationem, ſicut patet de leproſo, qui non debet publice celebrare. Poteſt tamen Miſſam dicere occulte, niſi lepra adeo inualuerit, quod per corroſionem membrorum eum ad hoc reddiderit impotentem.*

## COMMENTARIVS.

D. Thomæ concluſio.

SEntentia D. Thomæ eſt, non licere Sacerdoti, etiā ſi curam animarum non habeat, omnino à conſecratione huius ſacramenti abſtinere: quia conſecratione (inquit) huius ſacramēti ſacrificium Deo offertur, ad quod (dicit in ſolutione ad primum) Sacerdos obligatur Deo ex Ordine iam ſuſcepto. Addit deinde D. Th. tempus huius obligationis eſſe in præcipuis feſtis, & maxime in illis diebus, in quibus fideles communicare conſueuerunt. Quæ doctrina exponetur in diſputationibus moralibus de ſacrificio, vbi etiam declarabimus ſolutionem ad 3. in qua D. Thom. corporales ægritudines numerat, quæ executionem ſacerdotalis Ordinis impedire poſſunt.

* * *

## ET HÆC DE EVCHARISTIÆ SACRAMENTO.

TRACTA.

# TRACTATVS DE MISSAE SACRIFICIO.

HActenus expediuimus omnia, quæ de myſterio Euchariſtiæ, quatenus ſacramentum eſt, dicenda nobis occurrerunt; nunc alteram rationem huius myſterij, quatenus ſacrificium eſt, explanare aggredimur. Quam tractationem D. Thomas in his quæſtionibus non diſtinxit, nec ſeparauit, ſed promiſcue de vtraq; ratione ſacramenti & ſacrificij diſſeruit, de priori quidem ex profeſſo, de poſteriori verò, quaſi incidenter, & breuiſsimè, optimè tamen accommodatur hæc materia ad octuageſimam tertiam quæſtionem D. Thomæ, in qua poſtquam egit de ſacramento, quod permanens eſt, de modo ſeu ritu conficiendi illud agere videtur, ſic enim intelligendum cenſeo titulum ſequentis quæſtionis, qui eſt de ritu huius ſacramenti, id eſt, de ritu conficiendi: quia omnis ritus eſt in ordine ad aliquam actionem. Hic autem non agit de ritu ſeruando in vſu, quia de eo iam dictum eſt; agit ergo de ritu ſeruando in eius effectione, & ita in omnibus ferè articulis agit D. Thom. de celebratione, idem autem eſt celebrare, quod conſecrare, ſeu ſacrificare. Tractat autem D. Thomas præcipuè de ritu accidentario in quinque poſterioribus articulis; in primo vero breuiter attingit ritum ſubſtantialem ſub ratione ſacrificij, & ideo commodiſſimè tota doctrina de ſacrificio in hunc locum reſeruata eſt.

## QVÆSTIO LXXXIII.

### De ritu huius ſacramenti, in ſex articulos diuiſa.

*DEinde conſiderandum eſt de ritu huius ſacramenti.*

Et circa hoc quæruntur ſex.

*Primo, vtrum in celebratione huius myſterij Chriſtus immoletur.*

*Secundo, de tempore celebrationis.*

Aliàs aptitudinem.

*Tertio, de loco & alijs, quæ pertinent ad apparatum huius celebrationis.*

*Quarto, de his, quæ in celebratione huius myſterij dicuntur.*

*Quinto, de his, quæ circa celebrationem huius myſterij fiunt.*

*Sexto, de defectibus, qui circa celebrationem huius ſacramenti occurrunt.*

### ARTICVLVS I.

Vtrum in hoc ſacramento Chriſtus immoletur.

Inf. a. 2 cor. & ad 1. & 2

*AD primum ſic proceditur. Videtur, quod in celebratione huius ſacramenti, Chriſtus non immoletur. Dicitur enim Hebr. 10. Quod Chriſtus vna oblatione conſummauit in ſempiternum ſanctificatos. Sed illa oblatio fuit eius immolatio. Chriſtus ergo non immolatur in celebratione huius ſacramenti.*

*2, Præterea, Immolatio Chriſti facta eſt in cruce, in qua tradidit ſemetipſum oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis, vt dicitur Epheſ. cap. 5. Sed in celebratione huius myſterij* CHRISTVS *non crucifigitur. Ergo nec immolatur.*

Lib. 4. c 14. in fin & cap. 7 in princ. tom 3.

*3. Præterea, Sicut* Auguſtinus dicit in quarto libro de Trinit. in immolatione Chriſti idem eſt Sacerdos & hoſtia. Sed de celebratione huius Sacramenti non eſt idem Sacerdos & hoſtia. Ergo celebratio huius Sacramenti non eſt Chriſti immolatio.*

Habetur de conſec. d. 2. c.

*Sed contra eſt, quod* Auguſt. dicit in lib ſent. Proſperi: Semel immolatus eſt in ſemetipſo Chriſtus, & tamen quotidie immolatur in ſacramento.*

Semel immolatus.

*Reſpondeo dicendum, quod duplici ratione celebratio huius ſacramenti dicitur immolatio Chriſti. Primo quidem quia ſicut dicit* Auguſtin. ad Simplicium, ſolent imagines earum rerum nominibus appellari, quarum imagines ſunt: ſicut cum intuentes tabulam, aut parietem pictum, dicimus, ille Cicero eſt, & ille Saluſtius. Celebratio autem huius ſacramenti (ſicut ſupra dictum eſt*) imago quædam eſt repræſentatiua paſſionis Chriſti, quæ eſt vera eius immolatio. Et ideo celebratio huius ſacramenti dicitur Chriſti immolatio. Vnde Ambroſius* dicit ſuper Epiſtolam ad Hebræos. In Chriſto ſemel oblata eſt hoſtia, ad ſalutem ſempiternam potens: quid ergo nos? nonne per ſingulos dies offerimus? ſed ad recordationem mortis eius. Alio modo, quantum ad effectum paſſionis Chriſti, quia ſcilicet per hoc ſacramentum participes efficimur fructus Dominicæ paſſionis. Vnde in quadam Dominicali oratione ſecreto dicitur: Quoties huius hoſtiæ commemoratio celebratur, opus noſtræ redemptionis exercetur. Quantum igitur ad primum modum poterat dici Chriſtus immolari etiam in figuris veteris teſtamenti. Vnde & Apocalyp. 13. dicitur, quorum nomina non ſunt ſcripta in libro vitæ agni, qui occiſus eſt ab origine mundi. Sed quantum ad ſecundum modum, proprium eſt huic ſacramento, quod in eius celebratione Chriſtus immoletur.*

In lib quæſt. ad Simplicium q. 3. parũ ante med to. 4. q. 79. a 1. & 2. d. 73. ar. 6.

In c. 10 ad Hebr. non procul à pr. tom 5.

*Ad primum ergo dicendum, quod ſicut Ambroſ.* ibidem dicit. Vna eſt hoſtia (quam, ſcilicet, Chriſtus obtulit, & nos offerimus) & non multæ: quia ſemel oblatus eſt Chriſtus: Hoc autem ſacrificium exemplum eſt illius. Sicut enim, quod vbiq; offertur, vnum eſt corpus, & non multa corpora, ita & vnum ſacrificium.*

In cap 10. ad Heb non remote à pr.